

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
G
7
NAPOLI



OFFICIA

PROPRIA SANCTORUM

RECITANDA


IN CIVITATE ET DIOECESI AGATHENSI

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI

THADDÆI MARIÆ GARZILLI

EJUSDEM DIOECESIS, AC ACERRANÆ ECCLESIÆ EPISCOPI

JUSSU EDITA.





NEAPOLI

EX TYPIS PHILANTROPICIS

MDCCCXLVII.





JANUARIUS
Die 28. ejusd.
In festo S. Adjutoris
Episc. et Conf. dupl.
Offic. de comm. C. P. In hym. M. S.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Adjutoris Confessoris tui, atque Pontificis meritis et praedicatione illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis, ut ipsius instruamur exemplis, et ejus patrocinio adjuti, ab omnibus liberemur adversis. Per Dom.

Lect. 1. Noct. de script. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Adjutor Episcopus Ater inter eos recensetur, qui Wandalica persecutione in navigium velis remisque destitutum, ac pene infirmum conscendere sunt coacti; sed divino consilio ad Campana littora appulsi, ibidem vel sacris dignitatibus, vel divini verbi praedicatione, vel vitae sanctimonia floruerunt. Cum sancti Prisci sociis Kalendis Septembris ejus memoria quotannis renovatur. Olim Beneventi, non secus atque in civitate Cavensi, quintodecimo Kalendas Januarias id fieri consuevit. Verum Archiepiscopi Cardinalis Ursini auctoritate hac die sancti Adjutoris festum agitur. Cujus exuvias in templo metropolitico sub ara maxima sitas Christifideles venerantur.

℟. Inveni David etc.

Lect. V.

Sermo S. Gregorii Papae
2. *par. Pastor cap.* 1.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine non relinquens.

℟. Posui adjutorium etc.

Lect. VI.

Considerandum quoque est, quia, cum curam populi electus Praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

℟. Iste est etc.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum. *Cap.* 10.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Serm. 119. de divers.

Audistis, fratres, cum sanctum Evangelium legeretur, quemadmodum Dominus noster Jesus Christus disciplina sua suos corroboraverit, dicens: Ecce ego mitto vos sicut

oves in medio luporum. Considerate, fratres mei, quid faciat, si unus lupus inter multas oves veniat: quantacumque sint ovium millia, uno lupo in medio turbabuntur; et si non omnes laniantur, omnes tamen terrentur. Qualis ergo erat ista ratio, quale consilium, qualis potestas, nec lupum ad oves admittere, sed in lupos oves mittere? Mitto, inquit, vos sicut oves in medio luporum, non ad limites luporum, sed in medio luporum.

℟. Amavit eum Dominus etc.

Lectio VIII.

Erat ergo luporum agmen, oves pauca. Cum enim multi lupi occiderunt paucas oves, conversi sunt lupi, et facti sunt oves. Audivimus ergo quod monuit, qui coronas promisit, et agonem praemisit, et quia expectat certantes, adjuvat laborantes. Cujusmodi certamen indixit? Estote, inquit, astuti ut serpentes, et simplices sicut columbae. Hoc qui intellexerit, et tenuerit, securus moritur. Quis autem securus moritur, nisi qui se sic noverit moriturum, ut mors in illo moriatur, vita coronetur?

℟. Sint lumbi vestri etc.

Lect. IX.

Quapropter, charissimi, exponendum est nobis, quamvis hinc jam saepius dixerimus, quid sit simplices esse ut columbae, astuti ut serpentes. Si jam simplicitas columbarum indicta est nobis, astutia serpentis quid facit in columbae simplicitate? Amo in columba, quod fel non habet; timeo in serpente, quod venenum habet. Noli ex omni parte horrere serpentem: habet quod oderis, habet quod imiteris. Serpens enim cum fuerit senectute praegravatus, et senserit pondus vetustatis, coarctat super cavernam, et ponit tunicam veterem, ut novus exultet. Imitare illum, Christiane, qui audis Christum dicentem: Intrate per angustam portam. Et Paulus Apostolus tibi dicit: Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite novum.

Die 3. Februarii.

In Festo S. Blasii
Ep. et M. dup.

Omn. de comm. un. Mart. praet. sequent.

Ad Vesp. Ant. Certamen forte, *cum rel. de Laud. ut infra. Psal. de Dom., et loco ultimi.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Hebr. 11.*

Fratres, Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, continuerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.

HYMNUS.

Salutis aram Blasius
Erexit: Ægri accurrite,
Languentiumque Vindici
Votiva dona ponite.
Cuicumque tristis obtinet
Ancina fauces gutturis,
Cui semitam meabilem
Obex iniquus perstruit.
Huc, pharmacis mortalibus
Curisque spretis, advolvet,
Potentiore Martyris
Levandus arte et dextera.
Quam fortis ille est strenuus
Suos dolores pertulit;
Tam mitis et clemens opem
Fert omnium doloribus.
Invicte Martyr, servulos
Tuos ab hoste protege;

Infer salutem corpori,
Refer quietem mentibus.
Sit summa laus et gloria
Tibi, superna Trinitas:
Dona, precante Blasio,
Beata nobis gaudia. Amen.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat. Ant.

Hodie Christi miles fortissimus Blasius, expleto suae mortalitatis agone, ad immortalem patriam, Angelorum inter plausus, perpetuo triumphaturus ascendit.

Oratio.

Deus qui Beatum Blasium martyrem tuum atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius, ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Ad Matutinum. Hymnus.

Stellata pande moenia,
Coeli corusca civitas;
Et glorioso martyri
Plausus et hymnos praepara.
Non illius victorias
Mortalis aequat laurea:
Vos alma frontis inclytae
Ite in coronam sidera.
Frustra insecutor saeviens
Virga, cruentos pectines
Omnesque prompsit ultimae
Crudelitatis machinas.
Bellator imperterritus
Minas, dolores, vulnera
Mortem, tyrannum, daemones,
Agone vicit nobili.
Sit summa laus et gloria
Tibi superna Trinitas:
Dona, precante Blasio,
Beata nobis gaudia. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Pastorem te Dominus sui gregis constituit, ut immortalis ei vitae pabulum ministrares.

Ant. Sub spelunca procul ab hominibus latens, suam in coelis conversationem Vir sanctus ducebat.

Ant. Immanes eremi bellulae degentem inter ipsas Dei famulum veneratione et obsequiis sunt prosecutae.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manum tuarum.

Lect. I. Noct. A Mileto, *ut in comm. un. Mart.*

℟. I. Beatus Blasius sacerdos Christi in spelunca Argaei montis delitescens, jugi meditatione adhaerebat Deo, * Feraeque ad eum conveniebant, et ab eo benedicebantur. ℣. Precibus assiduis, et lacrymis opem implorans, gregem suum laborantem Domino commendabat — Feraeque.

℟. II. Cum leonibus lusit quasi cum agnis, et cum ursis similiter fecit, sicut cum agnis ovium. * Domini enim sunt omnes fera silvarum, et voluit eas famulari servo suo. ℣. Contemplationi vacans, ab ipsis feris quotidianum victum accepit, et summopere excultus est. — Domini enim.

Resp. III. Certamen forte dedit illi, ut vinceret: et ipse pugnavit, et fecit victoriam: * Et accepit coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se. ℣. Dura verbera, ferrei pectinens, candens lorica, et aquae multae tormentorum non potuerunt Blasii extinguere charitatem — Et accepit — Gloria Patri — Et accepit.

IN II. NOCTURNO

Ant. Ad tormenta et carcerem du-

ctus, alacri animo et gressu, quasi ad suae vocationis bravium, properabat.

Ant. Dominus mecum est adjutor fortis, et ideo carnificum tormenta non timeo.

Ant. Immaculatus Sacerdos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, holocaustum se obtulit.

℣. Posuisti Domine super caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioso.

Lect. IV.

Blasius Cappadox, nobili genere ortus, Sebaste in Cappadocia ex medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi animorum cura succederet. Huic muneri cum sedulam ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Licinio tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu, Christi consilio et exemplo in montem Argaevum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipsis feris, nativae feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, et summopere excultus est.

℟. Blasius, qui ex medico factus Episcopus, sicut in medendis corporibus, ita in animabus curandis valde mirabilis fuit subveniat necessitatibus nostris, * Et intercedat pro nobis ad Dominum, ut a cunctis mentis et corporis periculis liberemur. ℣. Aspiciat ad defensionem nostram, eruat nos in mirabilibus suis — Et intercedat.

Lect. V.

Ibi tamdiu latuit, dum ab Agricolai Praesidis militibus sorte deprehensus, inde abstractus, et ad Praesidem ductus, illius jussu in vincula conjectus est. Sed vinctus ipse, multos quos ejus sanctimoniae fama acciverat, a diversorum morbo rum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui, desperata a medicis salute, transversa spina faucibus inhaerente, animam agebat. Illustris sane tum corporum, tum animorum medicus non humana, sed divina arte, non paratis a natura remediis, sed Christi comparatis, aegros pristinae valetudini restituit, omni fere miraculorum genere conspicuus. Nam Christi super aquas ambulantis, et Eliae Sareptanae viduae annonam multiplicantis miracula renovavit.

℟. Duxit illum Dominus in solitudinem, et locutus est ad cor ejus: * Sedit solitarius, et tacuit, quia levavit se supra se. ℣. Erravit in montibus et cavernis terrae: ipso enim dignus non erat mundus— Sedit.

Lect. VI.

Atrocissimis tormentis, crudelissimi Praesidis jussu, cruciatus fuit. Duris verberibus caesus, tortus in equuleo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis affectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, infractus animus restitit, Tandem victo tyranno, capite plexus, illustre fidei testimonium Ecclesiae reliquit tertio nonas Februarias, anno Christi trecentesimo decimo sexto.

℟. Servus Christi Blasius accepta mortis sententia, cum venisset ad locum martyrii, precatus est Dominum: * Deus virtutum, qui liberasti me a simulacris, * Quicumque ad hanc tuam aram accesserit, imple uniuscujusque cordis petitionem. ℣. Tu bone, et clemens, ac semper glorificandus — Deus virtutum — Gloria Patri — quicumque.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Coelestis ex Dei famulo vir-

tus exibat, et variis afflictos infirmitatibus sanabat.

Ant. Ambulans super aquas, fidei sustentante gratia, demergi non potuit.

Ant. Paganorum multi videntes admirabilia martyris opera, Christum verum Deum confessi sunt.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lect. VII. *Cap.* 10.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Et reliqua.

Homilia S. Athanasii Episcopi.

In Apolog. de fuga sua, ante medium.

In lege praeceptum erat, ut constituerentur civitates refugiorum, ut qui quomodocumque ad necem quaererentur, servari possent. In consummatione porro saeculorum cum advenisset illud ipsum Verbum Patris, quod Moysi antea locutum fuerat, rursus hoc praeceptum dedit: Cum vos inquiens, persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam. Pauloque post subjicit: Cum videritis illam abominationem desolationis, quae dicta est per Danielem prophetam, consistentem in loco sancto, (qui legit, intelligat), tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes, et qui in tecto est, ne descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. ℣. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso — Expressa.

Lect. VIII.

Haec cum scirent sancti, ejusmodi tenuerunt suae conversationis institutum. Quae enim nunc praecepit Dominus, eadem quoque ante suum in carne adventum locutus est in sanctis: et hoc institutum homines ad perfectionem ducit. Nam quod Deus jusserit, id omnino faciendum est. Ideoque et ipsum Verbum propter nos homo factum, non indignum putavit, cum quaereretur quemadmodum et nos, abscondere se; et cum persecutionem pateretur, fugere, et insidias declinare: cum autem a se definitum tempus ipse adduxisset, in quo corporaliter pro omnibus pati volebat, ultro seipsum tradidit insidiantibus.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad caelestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Qui minas — Gloria Patri — Qui minas.

Lect. IX.

At vero sancti homines, cum hanc quoque formam a Salvatore didicissent (ab ipso enim et antea et semper omnes docebantur) adversus persecutores ut legitime certarent, fugiebant, et ab illis quaesiti se abscondebant. Cum enim praestituti sibi a divina providentia temporis finem ignorarent, nolebant insidiantibus se temere traducere: sed contra, cum scirent quod scriptum est, in manibus Dei esse hominum sortes, et Dominum mortificare et vivificare: potius in finem usque perseverabant, circumeuntes, ut ait Apostolus, in melotis, et pellibus

caprinis, agentes, angustiati, in solitudinibus errantes, et in speluncis et cavernis terrae latentes, quoad vel definitum mortis tempus veniret, vel qui tempus ipsum definierat Deus, cum eis loqueretur, et insidiantes cohiberet, aut certe persecutoribus eos traderet, utcumque illi placuisset.

AD LAUDES.

Et per horas, Antiphona.

Ant. Certamen forte dedit ei Dominus, ut vinceret, et sciret, quia omnium protector est Christus.

Psal. Dominus regnavit, cum reliquis de Dom.

Ant. Stetit justus in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.

Ant. Non equuleus, non verbera, non omnia tyranni tormenta separare Blasium a charitate Christi potuerunt.

Ant. Benedictus es Domine, qui gloriosum martyrem tuum fecisti transire per ignem et aquam, et eduxisti eum in refrigerium.

Ant. Laudabat Deum Blasius, quod dignus haberetur pro ipsius confessione torqueri.

Capitulum.

Fratres, Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, continuerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.

HYMNUS.

Blasi, sacerdos inclyte,
Et martyrum fortissime,
Victor triumpho nobili
Evectus es ad sidera.
Laetentur omnes Coelites,
Quos recreas consortio;
Terraeque plaudant incolae,
Quos ut Patronus respicis.
Absint trementes inferi,
Quos reprimis praesentia:
Cuncta et creata sentiant
In te Dei potentiam.
Sub montis antro conditus,
Ut Christo adhaerens servias;
Hic obsequentes excipis
Feras nocendi immemores.
Inde a tyranno percitus,
Laeu profundo mergeris:
Tuo sed unda corpori
Se praebuit calcabilem.
Vinclis recinctus asperis,
Inter dolores fortior
Athleta poenae, judicem,
Ipsamque mortem despicis.
Sit summa laus et gloria
Tibi, superna Trinitas:
Dona, precante Blasio,
Beata nobis gaudia. Amen.

Ad Benedictus, Ant.

Bonum certamen certasti, fidem servasti, cursum consumasti, et ideo Deus justus judex reddit tibi in coelo coronam immarcescibilem.

Oratio

Deus, qui B. Blasium martyrem tuum atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius, ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Dominum.

Ad Sextam. Capitulum.

In solutidinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terrae, et ii omnes testimonio fidei probati, in Christo Jesu Domino nostro.

Ad Nonam. Capitulum

Transvexit illum Dominus per aquam nimiam, et ab altitudine inferorum eduxit illum.

Ad Magnificat, Ant.

Beate Christi Martyr, Deo com-

mendas omnes, qui tuum invocant patrocinium: exaudiatur oratio tua, et impetra nobis salutem animae et corporis.

Die 6. *Februarii*

In festo S. Leucii

Ep. et Conf. dup.

Offic. de comm. C. P. In hym. M. S.

Oratio

Deus qui ad illustrandam Ecclesiam tuam beatum Leucium Confessorem tuum atque Pontificem innumeris decorasti miraculis; concede propitius, ut sicut ipse fidelibus tuis coelesti ac terreno auxilio adfuit, ita nos quoque ejus intercessionibus aeternum regnare possimus in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Leucius, quem Eupréscium quoque dixerunt, Theodosio principe, Alexandriae natus est. In sancti Hermetis caenobium aliquando cum parente Eudechio secessit, ibique sacris litteris sedulam operam narravit. Divino consilio sacerdotio initiatus, verbi Dei praedicatione Alexandrinae Ecclesiae fidelis administer fuit. Vitae sanctitate, ac morum innocentia praeluxit. Plures ad Christi fidem convertit: Æthiopemque energumenum liberavit.

Lect. V.

Porro non Alexandriae solum, sed et alibi intra Ægypti fines sanctissimis moribus, ac virtutibus claruit. Pluribus clericis sequentibus in navem conscendi, et mare longissimo tractu est metitus. Brundusium denique sedem fixit, et domicilium. Apud amphiteatrum in suburbio degens, christianam fidem docebat, edoctosque sacris aquis lustrabat. Nec ad ejus doctrinam ac sanctitatem comprobandam defuerunt miracula: in iisque minime est praetereundum, siccitate biennium laborantes incolas, ejus precibus maximum imbrem habuisse; quo perpetrato miraculo, Antiochus urbis Praefectus cum viginti septem ethnicorum millibus Christi fidem amplexatus est; hi vero omnes christianae fidei praeclarius testimonium reddere voluerunt, templum construendo Dei Genetrici, ac Sancto Joanni Baptistae inscriptum atque dicatum.

Lect. VI.

Brundusino Pontifice vita functo, ipse sufficitur. Diu multumque susceptum munus sanctissime obivit, et tandem tertio idus Januarii vivere desiit. Ejus corpus Trano, quo aliquando perlatum fuerat, Beneventum adsportarunt Longobardi Principes, ibique in sanctae Sophiae templo honorificentissime condiderunt. Verum tractu temporis ut bellorum calamitatibus subduceretur, pars maxima ad monasterium Montis Virginis delata est, et particulae quaedam in Tranentium, ac Brundisinorum civitatibus coluntur. Ejus festum Archiepiscopi Cardinalis Ursini auctoritate octavo idus Februarii quotannis renovatur. Et in beneventana ditione non ignobile habetur oppidum ejus nomine insignitum, in cujus honorem erecta ibidem parochialis ecclesia conspicitur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Homo peregre, *ut in comm. C. P.* 1. *loco.*

Die 9. Februarii

In festo S. Apolloniae.

V. et M. dup.

Offic. de comm. Virg. et Mart.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

Lect. VI.

Apollonia, virgo Alexandrina, sub Decio imperatore, cum ingravescente jam aetate ad idola sisteretur, ut eis venerationem adhiberet, illis contemptis, Jesum Christum verum Deum colendum esse praedicabat. Quamobrem omnes ei contusi sunt, et evulsi dentes: ac, nisi Christum detestata Deos coleret, accenso rogo combusturos vivam minati sunt impii carnifices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subituram, respondit. Itaque comprehensa ut combureretur, cum paulisper, quasi deliberans quid agendum esset, stetisset, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum majori Spiritus Sancti flamma intus accensi, se injecit. Unde brevi consumpto corpore, purissimus spiritus in coelum ad sempiternam martyrii coronam evolavit. Cujus sacra lipsana Beneventi in insigni sanctae Sophiae templo honorifice servantur.

Lect. V.

Sermo S. Maximi Episcopi

In Nat. S. Agnetis.

Cum in toto mundo virgineus flos Mariae immarcescibiles coronas innectat, et sceptrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu, eo usque integritas perseveravit ad palmam, ut in puellis trophaeum sanctitatis arripere, et per vestigia Matris Virginis ad coelestem thalamum perveniret. O quam imitabile virginibus, Virgo Apollonia, tui amoris tradidisti exemplum! O quam sanctum pectoribus dandum virgineis tribuisti responsum, contemnendo mundi divitias, execrando carnis concupiscentias et solam Christi pulchritudinem adamando! Accedite ad puellam, puellae, et discite quales in pectores suo circa amorem Christi flammas accendit. Discite, Virgines, Christi amorem in ea ferventem, et omnes mundi divitias veluti stercora recusantem.

Lect. VI.

Ideo enim Sanctorum per litteras traduntur exempla, ut unusquisque pro qualitate sexus modum sui propositi teneat: et sicut per Virginem Virgines, ita per Conjugem Conjuges vincere saeculum pro Christi amore studeant; ac repugnatione animi, mundi dulcia recusantes, et ejus non recusantes austera, ad delectationes perpetuas, et ad gaudia aeterna pertingant. Haec dicentes, non vituperamus conjugum casta commercia, sed virginum perseverantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est rebus optimis praeferenda. Quae enim mundis mundior, et sanctis sanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari.

IN III. NOCTURNO

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lect. VII. *Cap. 25.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, et sponsae. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papae.

Hom. 12. in Evang.

Notandum vero, quod omnes lampades habent, sed omnes oleum non habent; quia plerumque bona in se opera cum electis, et reprobis ostendunt; sed soli ad sponsum cum olio

veniunt, qui de his, quae foris egerint, intus gloriam requirunt. Unde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur: Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus. Dormitaverunt omnes, et dormierunt. Dormire mori est: ante somnum vero dormitare, est ante mortem a salute languescere, quia per pondus aegritudinis pervenitur ad somnum mortis.

Lect. VIII.

Quid est autem, quod fatuae a prudentibus oleum petunt, nisi quod in adventu Judicis, cum se intus vacuas invenerint, testimonium foris quaerunt? Ac si a sua fiducia deceptae, proximis dicant: Quia nos quasi sine opere repelli conspicitis, dicite de nostris operibus, quod vidistis. Unde et prudentes per increpationem subdunt: Ite potius ad vendentes, et emite vobis. Venditores quippe olei adulatores sunt. De quo profecto oleo Psalmista dicit: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Lect. IX.

O si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habeat, quod dicitur: Venit sponsus; quid dulcedinis, intraverunt cum eo ad nuptias; quid amaritudinis, et clausa est janua! Pensate, fratres charissimi, ante conspectum tanti Judicis, quis in illo die terror erit, quando jam in poena remedium non erit? Quanta vero tunc erit electorum laetitia, qui de ejus merentur visione gaudere, de cujus conspectu vident et elementa omnia contremiscere? Cum eo simul ad nuptias intrare, qui et in sponsi nuptiis gaudent, et tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo aeterni regni thalamo visioni nostrae Deus conjungitur.

Die 11. Februarii.

In festo S. Felicis

Presb. et Mart. dupl.

Offic. de Comm. un. Mart.

Oratio.

Concede quaesumus omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent: quatenus quorum solemnia agimus, etiam actus imitemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Felix Nolanus presbyter, cum in idola vehementius inveheretur, ab infidelibus varie vexatus, in carcerem conjicitur. Unde ab Angelo nocte eductus, quaerere jussus est Maximianum Nolae Episcopum; qui cum senio confectus desperaret se ferre posse persequentium supplicia, se abdiderat in silvam. Quo cum Felix Deo duce pervenisset, sanctum Episcopum humi jacentem pene mortuum videt: quem recreatum, ac sublatum in humeros, apud fidelem viduam reficiendum curavit.

Lect. V.

Sed cum is iterum idolorum cultores impietatis argueret, facto in ipsum impetu, fugiens in augusto duorum parietum intervallo se occultavit. Qui aditus cum repente aranearum telis pertextus visus esset, nemini recentis latebra suspicionem reliquit. Inde igitur evadens Felix, in aedibus piae mulieris tres menses latuit. Cum vero Dei Ecclesia requiescere caepisset, Nolam rediens, multisque ibi vitae exemplis, et doctrinae praeceptis, miraculisque ad Christi fidem conversis, constanter etiam recusato ejus urbis episcopatu, obdormivit in Domino, sepultusque est prope Nolam in loco,

quem in Pincis appellabant. Ejus sacra lipsana Beneventi sub ara maxima principis templi honorifice conduntur.

Lect. VI. Triumphalis *etc. ut in Brev. de comm. un. Mart.*

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Nihil est opertum etc. *ut in festo S. Policarpi die* 26. *Januarii*, in Brev.

℟. *VIII.* Domine praevenisti etc.

Die 12. *Februarii*

In die Octava S. Agathae V. et M. dupl.

Omnia ut in die festo in Brev. praet. seq.

In I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

De Epistola S. Hieronymi Presbyteri ad Eustochium.

De Cust. Virg. t. 1. circ. med.

Lect. IV.

De virginibus, inquit Apostolus, praeceptum Domini non habeo. Cur? quia et Ipse ut esset virgo, non fuit imperii, sed propriae voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse confingunt; cum de continentia disserens, et suadens perpetuam castitatem, intulerit: Volo autem omnes esse sicut meipsum. Et infra: Dico autem innuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Domini de virginitate praeceptum? Quia majoris est mercedis quod non cogitur, et offertur: quia si fuisset virginitas imperata, nuptiae videbantur ablatae; et durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere.

℟. Ego autem adjuta a Domino, perseverabo in confessione ejus, qui me salvam fecit, * Et consolatus est me ℣. Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui misisti ad me Apostolum tuum curare vulnera mea — Et consolatus est me.

Lect. V.

Alia fuit in veteri lege felicitas. Ibi dicitur: Beatus qui habes semen in Sion, et domesticos in Jerusalem: et maledicta sterilis, quae non pariebat. Et: Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae. Vacuus erat orbis, et ut de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum. Propterea et Abraham jam senex Cethura copulatur; et Jacob mandragoris redimitur, et conclusam vulvam in Ecclesiae figuram Rachael conqueritur. Paullatim vero increscente segete, messor immissus est. Virgo Elias, Eliseus virgo; virgines multi filii Prophetarum. Jeremiae dicitur: Et tu ne accipias uxorem. Sanctificatus in utero, captivitate propinqua, uxorem prohibetur accipere. Aliis verbis idipsum Apostolus loquitur: Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. Quae est ista necessitas, quae aufert gaudia nuptiarum? Tempus breviatum est, in proximo est Nabuchodonosor.

℟. Ipse me curavit, qui per Apostolum Petrum in custodia me confortavit, pro eo quod jussa sum suspendi in equuleo. * Propter fidem castitatis adjuva me Domine Deus meus in tortura mammillarum mearum. ℣. Ipse me dignatus est ab omni plaga curare, et mammillam meam meo pectori restituere — Propter fidem.

Lect. VI.

Inveniebatur ergo, ut diximus, in viris tantum hoc continentiae bonum, et in doloribus jugiter Heva parturiebat. Postquam vero Virgo concepit in utero, et peperit no-

bis puerum, cujus principatus in humeros ejus, Deum, fortem, patrem futuri saeculi; soluta maledictio est. Mors per Hevam, vita per Mariam. Ideoquo et diutius virginitatis donum fluxit in foeminas, quia capit a foemina. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in coelo, haberet angelos et in terris. Tunc Holofernis caput Judith continens amputavit: tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni: tunc primum auditum est: Quae non est nupta, cogitat quae sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu.

℟. Vidisti Domine, et spestasti agonem meum, quomodo pugnavi in stadio: sed quia nolui obedire mandatis principum, * jussa sum in mammilla torqueri. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam — Jussa sum — Gloria Patri — Jussa sum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lect. VII.

In illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisaei, tentantes eum, et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex caussa? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrisostomi.

Homil. 32. in Matth. cap. 19.

Judaei in finibus suis constitutum Dominum tentaverunt, et repulerunt, et in fornicationibus suis corporalibus fornicationem suam confessi sunt spiritualem, dicentes: Si licet viro dimittere uxorem suam quacumque ex caussa? Quia non potest animo esse castus, qui corpore est lascivus; hoc est, non potest eo esse fidelis, qui uxori suae perfidus est: sicut nec ex diverso conscientiam servat; sed altera alterius fornicationis est accusatrix. Et illi quidem secundum carnem interrogabant, quae pati merebantur secundum spiritum.

℟. Beata Agatha ingressa carcerem, expandit manus suas ad Deum, et dixit: Domine, qui me fecisti vincere tormenta carnificum, * jube me ad tuam misericordiam pervenire. ℣. Domine, qui me creasti, et tulisti a me amorem saeculi, qui corpus meum a pollutione separasti — Jube me.

Lect. VIII.

Christus autem respondit eis, quod facere eos non decebat, dicens: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob causam fornicationis, et aliam duxerit, moechatur. Sicut enim uxorem quocumque modo contra voluntatem viri agentem dignum est repellere: non autem est justum, quantum ad gravitatem viri, nisi ob causam fornicationis. Sic et Ecclesia quocumque modo contra voluntatem egerit Christi, digna est abjici: non autem abjicitur propter longanimitatem Christi, nisi sola causa transgressionis.

℟. Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, sed habeo Dominum Jesum Christum; * Qui solo sermone restaurat universa. ℣. Qui me dignatus est ab omni plaga curare, et mammillam meo pectori restituere, ipsum invoco Deum vivum — Qui — Gloria Patri — Qui.

Lect. IX.

Sicut enim si Christus prius dimisisset Ecclesiam Judaeorum, non eis subministrans per scripturas notitiam suae divinitatis, ipse faciebat eam adulteram cum diis extraneis: quoniam natura rationalis, et subdita Deo creata, sine Deo non

potest esse; sic Christo semper eis scientiam suae divinitatis subministrante, quoniam Synagoga spernens transibat ad idola, inescusabilis adultera reperta est. Propter quod repulit Christum, non repulit eam Christus: non quacumque ex causa, sed propter causam fornicationis ipsius; quia non solum diabolo se conjunxit, sed etiam interfecit eum, pro quo mori debuerat. Ab initio enim Deus genuit Christum: deinde creavit hominem quasi conjugem, et potentem suscipere verbum ipsius. Ideo clamat: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

Die 13. Februarii

In festo S. Justini

Presb. et Mart. *Duplex.*

Offic. de comm. un. Mart.

Oratio

Deus tuorum gloria sacerdotum, qui hodiernam diem beati Justini martyris tui triumpho consecrasti: exaudi preces populi tui, et praesta, ut qui eius merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dom.

Lect. I. Noct. de. scr. occ.

Lect. IV.

Justinus presbiter Sipontinus ex Apulia in Vestinorum fines cum Florentio, Felice, et Justina proficicens, apud Forconium prope Aquilam sedem fixerat, et domicilium. Verum sociis propter Christi fidem a lictoribus interceptis, atque tandem supremo supplicio affectis, ipse, ut tempestati sese subduceret, vitaque consuleret, vicinum montem ascendit, ibique aliquandiu latuit. Nactus sanctorum sociorum corpora, ad Officii montis radices eadem condidit. Vitam sanctissimam coluit, pertulitque labores plurimos, atque anno aetatis suae quarto et octogesimo supremum obiit diem. Ejus exuvias in ara maxima Metropolitici templi honorifice positas cives Beneventani venerantur.

Lect. V.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ut quid ego? non possumus et nos cum beato Justino Christi bibere calicem? Sed forte respondent aliqui possemus, si opportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessait. At ego, fateor non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? Quotidie ceditis punctioni acus unius, et mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus quam viriliter in majori certamine stare possitis. Novit Dominus figmentum nostrum, nec dat nobis tam forte certamen.

Lect. VI.

Beato Justino certamen forte dedit, ut vinceret et disceret, quoniam omnium potentior est sapientia. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris: Frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissus, infirmitatem simula, responde ei, qui forte durius locutus est, ut satisfacias desiderio tuo: nec dicitur cuiquam: Nisi haec feceris, morieris: sed ut multum, cum difficultate et labore resistes animo tuo.

In III. Noct. Homil. S. Athanasii Episc. in Evang. Cum persequentur vos etc. *ut in festo S. Blasii Ep. die 3. Febr.*

Die 14. Februarii

In festo S. Modestini

Episc. et Mart. *Semid.*

Offic. de comm. un. Mart.

Oratio.

Deus, qui beatum Modestinum

martyrem tuum atque Pontificem virtutem constantiae in passione roborasti: tribue nobis quaesumus, pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Modestinus Antiochenus Pontifex, Diocletiano principe in Christianos saeviente, cum vim tormentorum ejus confessioni impendentium se ferre dubitaret, in montem secessit, ubi orationibus assiduis, ac divinarum rerum contemplatione septennio moratus est. Divino monitu Antiochiam revertens, plures in itinere a daemonibus curasse, atque ad Christi fidem pertraxisse traditur. Accersitus propterea ab Imperatore, atque de religione interrogatus, Christum sequi, deosque contemnere palam professus est.

Lect. V.

Dirissimis ergo cruciatibus torquetur, verberibus caeditur, ungulis ferreis dilaniatur, et plumbo, pice, sulphure, resina perfunditur, ex quibus crudelissimis plane tormentis divina virtute illaesus evasit. Quapropter multitudo commota adeo esse coepit, ut Christum verum Deum conclamareret. Accessit, quod ingenti facto terramotu, visisque tornitribus ac fulguribus ad horrorem usque, Princeps metu perculsus, ac territus, Modestinum in custodiam arctissimam tradi jussit. Verum ab Angelo solutus, in fugam se conjecit, Florentino Episcopo, ac Floriano diacono sociis assumptis in Italiam venit et ad Campaniae littora appulsus, sedem fixit et domicilium, ubi miracula perpetrasse, in iisque defunctum, dum afferretur, ad vitam revocasse, legimus.

Lect. VI.

His ad Maximianum delatis, ab eo accersitur Modestinus cum sociis, atque ad deorum cultum etiam atque etiam hortatur: neque minas, neque blandicias iratus imperator in eum quidquam prodesse, acerbissimis tormentis iterum torquendum dedit, sed frustra, nam divino consilio factum est ut illaesus rursus evaderet. Quare in custodiam traditus, ab Angelo vinculis postea solvitur et inde Praeturium venit non ignobilem olim locum prope Abellinum, ibique paulo post cum sociis diem supremum obiit. Horum corpora, Gullielmo secundo Normanno rege, ab Abellinensi Pontifice in civitatis templo maximo sita sunt.

In III. Noct. Lect. Homil. in Evang. Si quis venit etc. *de comm. un. Mart. 1. loco.*

Die 15. Februarii

In festo S. Maximi

Ep. et Conf. *Semid.*

Off. de comm. C. P. In hym. M. S.

Oratio

Ecclesiam tuam, quaesumus Domine, gratia coelestis amplificet; quam beati Maximi Confessoris tui atque Pontificis sacrare voluisti gloriosis meritis et exemplis. Per Dom.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Maximus, seu Maximianus Nolanus Pontifex, Diocletiano, ac Maximiano principibus, sancti Felicis ejusdem Ecclesiae Presbyteri studiorum, et confessionis socius persecutione in Christianos saeviente, eos bono animo esse jubebat, et confirmabat in fide. Sed in dies magis crudescente in Christianos bello,

cum per senectutem impiorum tormenta se ferre posse desperaret, in solitudinem secessit, ubi fame, siti, lassitudine, et caeteris vitae commodis confectus, animam pene agebat; cum sanctus Felix, ut sese persecutoribus et ipse eriperet, illuc divertens, sanctum Episcopum humi jacentem, et prope mortuum nactus, et miseratus, recreatum, atque sublatum in humeros, apud fidelem viduam curandum detulit.

Lect. V.

Integram aliquando pro aetate nactus valetudinem, mitescente persecutione, Nolam rediit, gregique suo pascendo sedulam iterum navavit operam, donec annis curisque pene contritus, sexto idus Februarii supremum diem obiit. Ejus lipsana sub ara maxima metropolitici templi sita venerantur: atque archiepiscopi Cardinalis Ursini auctoritate ejus memoria quotannis renovatur.

Lect. VI.

Sermo sancti Ambrosii Episcopi.

Depositionem sancti Maximi hodie celebramus. Quid est depositio? Non illa utique, quae sepeliendis in terra membrorum reliquiis Clericorum manibus procuratur: sed illa, qua homo vinculis carnalibus absolutus, liber iturus ad coelum, terrenum corpus exponit. Ipsa plane est depositio, in qua concupiscere abjicimus, cessamus delinquere, peccare desinimus, et totum quidquid saluti est grave, quasi abjecta sarcina oneris, exponimus. Nam ideo haec dies pro celebritate maxima procuratur; quia vere est summa festivitas, mortuum esse vitiis, soli vigere justitiae.

IN III. NOCTURNO

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap.* 19.

Lectio VII.

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Hom.* 59. *in Joannem.*

Magnum quiddam, dilectissimi, magnum, inquam et Ecclesiae praelatio, et quae multa indiget sapientia et fortitudine, qualem Christus proposuit, ut animam pro ovibus ponamus, ut nunquam illas deseramus: ut lupo generose resistamus. Haec enim inter pastorem, et mercenarium est differentia. Alter propriae, contemptis ovibus: alter, sua contempta, ovium semper saluti invigilat. Pastoris ergo exemplo demonstrato, deceptores duos meminit; furem mactantem, et rapientem oves; et mercenarium permittentem, neque defendentem commissas.

Lect. VIII.

Quod superiori tempore Ezechiel his verbis insectatus est: Vae pastoribus Israel: nonne pascebant semetipsos? Nonne greges pascuntur a pastoribus? Sed illi contrarium faciebant, quod maxime malitiae genus est, et plurimorum causa malorum. Idcirco inquit: Neque quod abjectum erat, reducebant: neque quod perierat, quaerebant: neque confractum alligabant: neque infirmum consolidabant; quoniam se, non gregem pascebant. Idem et Paulus aliis verbis significat: Omnes quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi.

Lect. IX.

Verum ab utroque se dissidere ostendit Christus ab illis quidem, qui in aliorum perniciem veniunt, cum dicat, se propterea venisse, ut vitam haberent, et abundantius haberent: ab his autem, qui oves a lupis rapi negligebant, dicendo se

propter eas animam ponere, ne oves perirent. Nam cum Judaei ipsum interimere vellent, non propterea destitit a doctrina, neque credentes tradidit, seu persitit, et pertulit mortem: ideo frequenter inquit: Ego sum pastor bonus. Quae cum nullo nisi testimonio viderentur (quod enim poneret animam suam, non multo post re monstratum est: quod autem viam haberent, et abundantius haberent, eventurum erat in futuro saeculo) alterum ab altero confirmat.

Die 10. Februarii.

In festo S. Potiti

Mart. Dup.

Offic. de comm. un. Mart.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Potitum martyrem tuum, inter caeteras egregias dotes, energumenos liberandi praerogativa decorasti: da nobis ejus intercessione, daemonum fraudes superare, et ad aeterna gaudia feliciter pervenire. Per Dom.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Potitus Calari, antiquissima Sardiniae urbe natus, ab unguiculis, inscio patre, christiana fide imbutus, ab eo postmodum ope maxima, ut eam desereret, tentatur, proptereaque in custodiam traditur. Sed tantum abfuit, ut minis, blandiciis que quidquam pater profecerit, ut filii sanctissimis monitis atque exemplis et ipse Chistum amplexus sit. Vinculis ergo solutus, divino consilio patriam deseruit, et in montem Epyrum secessit. Ibi divini verbi praedicatione, vitae castimonia, ac sanctissimis moribus praeluxit, et daemonum insidias, quibus crudelissime divexatus est, superavit. In Valeriana urbe Agathonis Senatoris conjugem elephantiesi laborantem curavit; quapropter Senator ipse cum tota familia, multisque civibus Christo adhaeserunt. Romae quoque Agnetem Antonini imperatoris filiam a crudelissimo daemone diris cruciatibus exagitatam, liberasse traditur.

Lect. IV.

Sed duri cordis, et pervicax Imperator diis volens filiae salutem referri, ac Potitum eorum sectatorem fieri, cum totis viribus in hanc sententiam pertrahere conatus est. Quare ad idola perducto Potito, ejus precibus atque virtute, ficta numinà corruerunt. Iratus inde Imperator, atque aegre id ferens, eum exquisitis jubet tormentis torqueri. In custodiam ergo arctissimam primum traditur; dire postmodum equuleo cruciatur; facesque ardentes ejus lateribus admoventur. Hanc Principi immanitatem cum Sanctus Martyr exprobraret, unguibus manuum, peduumque crudeliter sibi detractis feris objectus est; sed ab his nativae feritatis oblitis nil laesus, in ferventis olei ollam injicitur, liquato plumbo perfunditur, ac clavo ignito transfigitur: quo, cum divinitus Sanctus Martyr liberaretur extracto, illico Princeps maximo capitis dolore affectus est, et Potitum rogavit, ut sibi opem ferret.

Lect. VI.

Agnetis tamen enixis precibus Principem sanctus Martyr curavit; quam ille rem magicis artibus referens, cum impietatis a Potito argueretur, ut lingua ei amputaretur praecepit; qua etiam abscissa uberius concinens, Imperatorem ut lacesseret, fieri ullis tormentis non posse ut Romae vitam ammitteret,

praenuntiat. Quare Antoninus permotus, et populi conversionem subveritus, satellitibus illum necandum, quo vellent, commisit. Itaque e Roma eductus, apud Asculum in Apulia idibus Januariis secundo Christi saeculo capite plectitur. Ejus corpus a Christianis sepultum, tractu temporis Tricarici ineunte saeculo decimo sexto in aede Sanctissimae Trinitatis nomine insignito repertum est, et tanquam Patronus ab ejus civibus haberi coepit; et Beneventi Archiepiscopi Cardinalis Ursini auctoritate ejus festum hac die celebratur.

In III. Noct. Lect. Homil. in Evangelio. Si quis venit etc. *de comm. un. Mart.*

Die 19. Februarii.

In festo S. Barbati.

Ep. et C. Duplex.

Omn. de comm. C. P. praet. seq.

HYMNUS.

Quae turba, quae vis hostium,
Rapacis instar turbinis,
Infenso premit impetu
Beneventana moenia?
Cives huc illuc trepidi
Lacessunt astra questubus,
Et nuda plangunt ubera
Passis puellae crinibus.
At vox Barbati supplicis
Divina mulcet odia:
En hostes aram deserunt,
Et urbs timore solvitur!
Vos oh Pastorem canite
Beneventani populi:
Vos bona verba dicite
Liberatori eximio.
Deo Patri sit gloria
Cum Nato, et almo Spiritu,
Qui nos ab hoste vindicet
Barbato semper auscipe. Amen.

℣. Amavit eum Dominus etc.

℟. Stolam gloria etc.

In I. et II. Vesp. ad Magnificat, et Benedictus Antiphona.

Vir Domini Barbatus actionibus celeber et coruscus miraculis, sectam internicionis pellendo, Beneventi effulsit.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Samnitem populum beati Barbati confessoris tui atque Pontificis precibus et doctrinis ab idolatria revocasti: da nobis ejus meritis ita in fide proficere ut indulgentiam percipere mereamur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

De Epistola secunda B. Pauli Apostoli ad Timotheum. *Cap. 2.*

Lect. I.

Tu ergo filii mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu: quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus; ut ei placeat cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Intellige quae dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

Lect. II.

Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: praedica verbum, insta oppotune, importune; argue: obsecra, increpa in omni patentia et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem converten-

tur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple.

Lect. III.

Q *De Epistola ad Titum Cap.* 1. Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fine, non intendentes judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate. Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens, et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Beatus Barbatus, trigesimus quintus Beneventi Episcopus, floruit tempore Romualdi Longobardi Samnitum Ducis. Quo tempore, licet Longobardi baptismatis unda abluerentur, et fidem Christi profiteri viderentur, adhuc tamen gentilitatis ritum custodientes, Viperae simulacrum colebant, et arborem quamdam non longe a Beneventi moenibus superstitioso cursu aversi equitantes petebant, ut ex corio in ea appenso gravi lanceae ictu particulam, quam postea comedebant, detraherent: qui locus quia stulta ibi persolvebant vota, Voti nomen apud eos accepit. Quae indigne ferens Vir Dei Barbatus, huc et illuc discurrens, anxie praedicabat, non posse eos duobus dominis servire; quam praedicationem mira signa consequebantur, nam et daemones a corporibus ejiciebat, et aqua, qua se lavabat post expletas Missas, si qui bibissent, continuo a quacumque detinerentur infirmitate, saluti pristinae restituebantur. Nihil tamen haec, et alia apud Longobardos profecerunt.

Lect. V.

Accidit autem hoc tempore, ut Constantinus Imperator, qui et Constans dictus est, Beneventum ingenti exercitu obsederit, cum Romualdus post multa certamina desperans, jam in id consilii devenerat, apertis portis, omnes utriusque sexus in hostem exire, et pugnando pro patria succumbere, et sic civitatem sine cive hosti relinquere. Tunc vir Dei ad eos: Convertimini, inquit, filii, ad Creatorem vestrum, et sic liberamini ab his, qui quaerunt animas vestras. Cui Romualdus: Si ita, ut asseris, ab hostibus non capiemur, abjiciam omnia, quae ritu Gentis colueram, ac soli Deo me serviturum polliceor. Idem caeteri Longobardi affirmabant. Barbatus autem templum Beatae Virginis ingressus, humiliter Deum pro eis precatur, sed quod petierat, sibi concessum divinitus agnoscens, Romualdum ducit in templum, ibique Beatam Virginem pro Longobardis orantem ostendit; qua visa Romualdus quasi exanimis cecidit in faciem. Tunc hostis, qui vel multo promisso auri pondere, et margaritarum numero erat implacabilis, discedens cum exercitu, Neapolim petiit. Statim vero Vir Dei sacrilegam illam arborem suis manibus extirpavit, ibique defossa humo, terrae congeriem fecit, ut nec signum in posterum appareret: quo in loco templum Beatae Mariae de Voto dictae postea aedificatum est.

Lect. VI.

Recedente igitur hoste, Barbatus una omnium voce Beneventi Episcopus eligitur, et rejectis praediis, quibus illum Romualdus ditare volebat, tantum ut ecclesia montis

Gargani, et quae dioecesis Sipontinae essent, Ecclesiae suae subjicerentur, petiit; quod et factum est. Sed cum postea Romualdus iterum ad Viperae cultum clam rediisset, accidit quodam die eum venatum ire. Tunc Barbatus domum ejus petens, a Theodoranda uxore ipsius simulacrum illud Viperae audacter petiit, ex quo sibi dato, calicem magnum, et patenam ad divinum, ministerium conficiendos curat. Sed reversus Romualdus, in ipsa die Dominicae Resurrectionis ad audiendam missam a viro Dei Barbato invitatus est; qua finita, objectum est ei, quod adhuc Viperam coleret, atque ex illo simulacro calicem effecisset, narrat; at Romualdus patienter ferens, se non amplius facturum pollicetur. Quam rem quidam ex circumstantibus pernoscens, mortem ejus uxori, si id amisisset, minitatur. Cui Barbatus: Quia diabolum niteris adjuvare, a diabolo manciperis, et tot, inquit, generationes (manus ostendens apertas) a te procedentes idem patiantur: resque ita successit. Caeteri vero timore perterriti, relictis omnibus, quae superstitiose coluerant, ad Dominum versi sunt, et per virum Dei plenius in fide instructi viam veritatis tenuerunt. Itaque rebus bene dispositis, post decimum octavum annum, et menses undecim sui Episcopatus, anno aetatis ejus octogesimo, anno vero Domini sexcentesimo octogesimo secundo, die decima nona Februarii obdormivit in Domino. Ejus reliquiae in dies multa miracula operantes, anno millesimo quingentesimo septuagesimo octavo a Maximiliano Archiepiscopo decentiori capsula condita, in cappella ejus nomini dicata recondita fuerunt. Anno vero millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, quarto idus Novembris, ab Archiepiscopo Cardinali Ursino, una cum reliquiis aliorum Sanctorum solemni ritu sub ara maxima principis ecclesiae collocatae, magna populi devotione et frequentia venerantur.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 19.

Lect. VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyteri

In festo S. Nicolai.

Homo nobilis ille est, qui caecus supra clamabat: Fili David, miserere mei: longinqua regio Ecclesia est ex Gentibus, de qua eidem homini nobili, qui loquitur: Ego autem constitutus sum Rex ab eo, dicitur a Patre: Postula a me, et dabo tibi Gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae, quae videlicet haereditas, ac possessio bifaria ratione regio longinqua vocatur; vel, quia a finibus terrae clamat ad Dominum: vel, quia longe est a peccatoribus salus, et cum Deus ubique sit praesens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus abest.

Lect. VIII.

Vocatis autem decem servis suis, Denarius numerus ad legem pertinet propter decalogum. Vocat igitur paterfamilias decem servos, quia elegit discipulos per litteram legis imbutos. Dat illis decem minas, quia legis dicta spiritualiter intelligenda revelat. Post passionem quippe, resurrectionemque suam aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.

Mina namque, quam Graeci *minam* vocant, centum drachmis appenditur, et omnis scripturae sermo, quia vitae coelestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarii pondere fulgescit.

Lect. IX.

Negotiamini dum venio: Verba (inquit) legis, ac Prophetarum mystica interpretatione discussa populis offerte, atque ab eis fidei confessionem, morumque probitatem recipite. Justa quod Psalmista suis auditoribus praecipit, dicens: Sumite psalmum, et date tympanum. Hoc est, laudem praedicationis in cordis intentione percipite, et devotionem operibus in carnis castigatione adhibete. Tympanum quippe est pellis in ligno extenta. Pellis vero in ligno extenta, caro est nostra, ad exemplum Dominicae Crucis afficta.

AD LAUDES.

Hymnus.

Te nunc Barbate canimus,
Te nostrae decus patriae,
Te pietatis columen,
Religionis vindicem.
Per quem revulsa a stirpibus
Infamis arbor corruit,
Quae tam funestis aerem
Obduxerat umbraculis.
Per quem depulsae tenebrae,
Devicta superstitio,
Per quem abiere in cinerem
Obscoena signa numinum.
Huc flecte dulces oculos,
Et fortunati populi,
Qui te Pastorem vigilem,
Nunc te Patronum sentiant.
Deo Patri sit gloria
Cum Nato, et almo Spiritu,
Qui det sublimi in patria
Pastorem nos revisere. Amen.

Ad Bened. Ant. ut sup. in 1. Vesp.

Die 23. Februarii.

In festo S. Petri Damiani

Episc. Cardin. et Eccl. Doct. Dupl.

In utrisq. Vesp. Ant. ad Magnif.
O Doctor optime etc.

Oratio.

Concede nos, quaesumus omnipotens Deus, beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de scr. occ. Si vero celebr. in Quadrag. sumunt. de comm. Pontif. Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Petrus Ravennae honestis parentibus natus, adhuc lactens, a matre numerosae prolis pertaesa abjicitur; sed domestica mulieris opera semivivus exceptus, ac recreatus, genitrici ad humanitatis sensum revocatae redditur. Utroque orbatus parente tamquam vile mancipium sub aspera fratris tutela durain servitutem exercuit. Religionis in Deum ac pietatis erga Patrem egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum, non propriae inediae sublevandae, sed sacerdoti, qui divinum sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, ejus cura litteris eruditur, in quibus brevi tantum profecit, ut magistris admirationi esset. Cum autem liberalibus scientiis floreret eas cum laude docuit. Interim ut corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa, dum carnis

stimulis acriter urgeretur, insultantium libidinum faces rigentibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat: tum venerabilia quaeque loca obire; totumque psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

Lect. V.

Perficiendae magis vitae causa in Avellanensi Eugubinae dioecesis caenobio Ordini Monachorum Sanctae Crucis Fontis Avellanae a Beato Ludulfo S. Romualdi discipulo fundato nomen dedit. Non ita multo post in monasterium Pomposianum, mox in caenobium S. Vincentii Petrae Pertusae ab Abbate suo missus, utrumque asceterium verbo sacro, praeclaris institutionibus, et moribus excoluit. Ad suos revocatus post Praesidis obitum Avellanitarum familiae praeficitur, quam novis variis in locis extructis domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis parens, ac praecipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti coenobia, Canonicorum conventus, et populi sunt experti. Urbinati dioecesi non uno nomine profuit. Theuzoni Episcopo in causa gravissima assedit; ipsumque in recte administrando episcopatu consilio et opere juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus, caeterisque spectatae sanctimoniae exemplis excelluit. His motus Stephanus IX Pontifex Maximus, eum licet invitum, et reluctantem, Sanctae Romae Ecclesiae Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis episcopali ministerio operibus gessit.

Lect. VI.

Difficilimo tempore Romanae Ecclesiae, Summique Pontificibus doctrina, legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum, et Simoniacam haeresim ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis Mediolanensem Ecclesiae Romanae conciliavit. Benedicto et Cadolao falsis pontificibus fortiter restitit. Henricum quartum Germaniae regem ab iniquo uxoris divortio dedeterruit. Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos sacris restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In provincia praesertim Urbinate vix ulla fuit episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit benemeritus. Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis; alias alibi quando oportuit, perinde curavit, ac si suae essent tutelae commissae. Cardinalatu, et Episcopali dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae feriae in honorem Sanctae Crucis Jesu Christi, horarias Beatae Dei Genitricis preces, ejusque die sabbato cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis mortem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis et praeclare actis illustris, dum e Ravennate legatione rediret Faventiae octavo Kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus corpus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum, frequenti populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in praesenti discrimine propitium experti, Patronum apud Deum delegerunt. Leo vero duodecimus Pontifex Maximus, officium, missam-

que in ejus honorem tamquam Confessoris Pontificis, quae aliqnibus in dioecesibus, atque in Ordine Camaldulentium jam celebrabantur ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vos estis sal terrae *de comm. Doct.*

Missa In Medio Ecclesiae.

Die 3. Martii.

In festo S. ARTHELAIDIS

Virg. *Duplex.*

Offic. de comm. Virg.

Oratio.

Quorum corda fidelium Deus miserator illustra; et beatae Arthelaidis virginis tuae precibus nos mundi illecebras despicere, atque coelestia semper appetere concede. Per Domine.

Lect. 1. *Noct. de scr. occ. In Quadrag. vero* De Virginibus, *de comm. Vv.*

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Arthelais Lucio Proconsule, et Anchusa nobilissimis parentibus Constantinopoli nata, sanctissimis, atque optimis moribus vel primam adoloscestiam excoluit. Quod elegantissima polleret forma, a Justiniano Principe, qui eam deperibat, in uxorem expetitur; sed parentibus non invitis anno septimi saeculi tertio et sexagesimo eunuchos plures ad sui tutelam assumpsit, et clam in Italiam profecta est, ut ad patruum Narsetem, qui per idem tempus Caesaris vicem gerebat, et Beneventi morabatur, diverteret. Verum in itinere a latronibus intercepitur, qui ejus pulcritudine capti, decentissimam virginem ad suos lares rapuerunt, atque vinculis manciparunt.

Lect. V.

Sed enixissimis eunuchorum precibus, qui eleemosynis quoque Deum ad pietatem flectere sategerunt, praeclarissime cum Arthelaide actum est; nam latronibus daemones potiti, impiissimos homines pessumdederunt. Ab Angelo igitur pudica Virgo soluta, reliquum iter regni peregit. Ut ad mare pervenit, navem conscendit, atque longo emenso spatio Sipontum appulit. Narses interim de nepotis adventu certior factum, Sipontum concessit, Virginem excepit, et Luceria pertransiens, magna servorum multitudine comitante, Beneventum perduxit.

Lect. VI.

Advenienti Arthelaidi tota civitas festive occurrit, et nobilissimam atque optimam Virginem excepit. Per Portam Auream recta ad templum maximum ire voluit, ubi ad altare Domini aureis sexaginta oblatis, sacris misteriis adesse, et Christi Corpore refici voluit, et inde ad patrui aedes se contulit. Vitae castimonia, ac morum sanctitate praeluxit. Quotidiano jejunio, atque assiduis precibus divinam sibi opem conciliabat. Febricula aliquando correpta, ad sancti Lucae templum prope Portam Rufinam ut duceretur, curavit, ubi sacris adfuit, atque sanctissimo Christi corpore refecta, annum agens decimum septimum, quinto Nonas Martias sanctissime obiit. Ejus corpus in eo loci sepultum, jampridem templo ipsi nomen, et novi accessionem cultus indidit. Sed postremo in templum maximum delatum, honorificentissime colitur.

Die 5. Martii.

In festo S. Joannis-Josephi a Cruce

Duplex.

Offic. de comm. C. non P. prael. seq.

Oratio.

Deus qui sanctum Joannem-Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis, et patientiae vias coelesti gloria sublimasti: da nobis, quaesumus, ut carne mortificati, ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Ischis Regni Neapolis in urbe apud Ænariam Insulam, parentibus, nobilitate sanguinis, morumque probitate praestantibus ortus est Joannes-Josephus de Cruce, a quibus Christianae pietatis semina, quae in ejus animam, supernis benedictionibus praeventam, fuerit cum lacte instillata, fructus mox uberrimos attulerunt. Tenerrima adhuc aetate, nedum a nugis puerilibus abhorruit, sed virtutes excolere coepit illustriores; silentii potissimum mortificationis, mundi, suique ipsius abnegationis, quas assiduo orationis studio confovebat. Deiparae cultum, quem ad obitum usque in diem auxit, interea temporis arripuit, dominicaeque passionis, et Eucharistiae mysteria affectu peculiari prosequebatur. Sancti Petri de Alcantara institutum, quod Joannes de S. Bernando ex Hispanis Exalceatis, Clemente nono adprobante, nuperrime in Italiam invexerat, divino afflante Numine, anno vitae suae sextodecimo amplexus est Italorum primus. Seraphico patriarca, fidissimoque ejus alumno Petro de Alcantara in ipso tyrocinio sibi ad imitandum propositis, mirum quam perfecte poenitentiam hujus et contemplationem, humilitatem illius ac paupertatem jam tum fuerit assecutus.

Lect. V.

Tertio vix decurso a solemni professione anno, Pedemontani Aliphae caenobii fundationi distinatur; quod ejus opera exiguum adeo evasit, ut alterius, quod olim in Petroso Extremadurae sanctus Petrus de Alcantara, clericus ipse quoque, excitaverat, imaginem simillimam referret. Sacerdotio ex obedentia inaugaratus, disciplinis moralibus, quas nunquam perdidicerat, improviso excultus visus est. Superiorum venia non longe ab eo coenobio, sacram eremum extruere adgressus subter excelsi montis dejectu, ut absolveretur quam citissime, ligna, lapides, calcem humeris suis mordaci lorica contectis, exportabat; ita ut per calcanea cruor ubertim in terram deflueret. Fratrum rogatu leges quasdam pro sacro illo recessu peculiares condidit, dignas quae a Sede Apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini praepositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profectu enixus est, ut illorum aliqui sanctitatis, et miraculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa undecimus, saeculi hujus decimi octavi initio, Fratres Italos excalceatos ab Hispanis in Regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma potirentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste, provinciae Neapolitanae S. Petri de Alcantara nuncupatae erectionem obtinuit.

Lect. VI.

Primus novae istiusmodi provinciae minister renuntiatus, regimen,

quod abdicaverat, Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium jussu, assumere coactus, difficile relatu est quot, qualesque calumnias Dei famulo devorare opus fuerit, ut italicam Excalceatorum familiam constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara contemplationis, et poenitentiae spiritus altas inter suos radices ageret, quos praeclarissimis virtutum exemplis anteibat; humilitate in primis, rigidaque claustralis disciplinae custodia. Paupertate, et abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam carnem sexaginta quatuor annis habitum adhibuit; perque vigintiquatuor annos priscorum eremicolarum ritu, pane tantum, ac fructibus victitavit; quod edulii genus ex obedientia deserere adstrictus, in nauseosum commutavit ferculum. Flagellis asperrimis, ciliciis, et cruce ferrea acutis instructa claviculis, corpus suum dilaniabat. Illud etiam de eo fertur, quod creberrimos inter orandum ecstases passus est, quodque raptibus, prophetia, miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens claruerit. Denique zelo animarum absumptus, octuagenarius, apoplectico morbo correptus, tertio nonas martias in osculo Domini obdormivit in caenobio S. Luciae Montis urbis Neapolis, anno septigentesimo trigesimo quarto supra millesimum. Quem miraculis coruscantem, anno ab illius decessu quinquagesimo sexto, Pius VI Pontifex Maximus Beatorum albo recensuit. Eundem vero novis fulgentem signis Gregorius Papa XVI anno millesimo octigentesimo trigesimo nono solemni ritu Dominica Sanctissimae Trinitatis in canonem Sanctorum retulit.

Lect. III. Noctur. Nolite timere. *De Commun.* 2. *loc.*

Missa Justus *de comm.* 2. *loco.*

Die 6. Martii.

In festo B. MARIAE FRANCISCAE a Vulneribus D. N. J. C. Virg. dupl. *Omn. de comm. Virg. prael. seq.*

Oratio.

Domine Jesu, qui Beatam Mariam Franciscam Virginem inter ceteras dotes in mundi contemptu mirabilem effecisti; ejus quaesumus meritis et intercessione concede nobis terrena dispicere, et coelestia semper inquirere. Qui vivis et regnas etc.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Maria Francisca a quinque Vulneribus Jesu Christi, honestis parentibus Neapoli orta, ab ipsa pene infantia sanctitatis indicia praebuit. Adhuc enim puella Angelorum Panem esuriebat, et Christi Domini cruciatus mente revolvens, grati animi sensu et moerore afficiebatur. Septennis ex Sacerdotis consilio, qui ei a sacris confessionibus erat, eucharistia refecta, Deo prorsus adhaesit. Quum sextum decimum annum ageret, coelestem Sponsum anhelans, nulla vi, nulla ratione adduci potuit, ut divites nuptias iniret. Igitur aliquanto post, assentiente patre, domi suae Tertii Ordinis S. Francisci habitum induit ex Institutis S. Petri de Alcantara, ac religiosa vota nuncupavit.

Lect. V.

Suscepti instituti leges, quamvis rigidas, perbelle implevit, et cor-

pus suum uti hostem dare habuit. Jejunii enim, vigiliis, flagellis, asperrimisque ciliciis ipsum attercbat, licet infirma valetudine, et aliquando etiam labori obnoxia, quo sibi et sororibus consuleret. Neque noctu quieti se dabat, cum brevem somnum caperet super duas tabulas, ovina tantum pelle contectas. Adeo vero pati exoptabat, ut ingravescente aetate, morbisque attrita aegre in commodiori lecto jacuerit, quo medicorum, ac spiritus sui moderatoris jussa perficeret. Modico pane vescebatur cui addebat absinthium. Æquo animo injurias hominum, et convicia, daemonum vexationes perferebat.

Lect. VI.

Virginitatem ita coluit, ut eam Dei ope suffulta ab impudentium insidiis, atque aperta vi intactam servaverit, et jucundum saepe spiraret odorem. Ejus cor divini amoris igne ita aestuabat, ut duas costas perfregerit. Coelestibus rebus intenta frequenter in ecstasim est rapta, et quandoque e terra sublata. Deiparam Virginem uti matrem ex animo habebat, et impense venerabatur. Ægros, inopes, vexatos, qua poterat ratione, reficiebat, solabatur; ac flagitiosos homines qua hortatu, qua ad Deum effusa prece ad bonam frugem reducebat. Supernis licet cumulata donis ita de se abjecte sentiebat, ut multis culpis obnoxiam, ac se dignam profiteretur, quam Deus in nihilum redigeret. Diutinis tandem absumpta morbis patientissime latis, ad coelestem Sponsum migravit pridie nonas Octobris, annos nata septuaginta septem. Eam post mortem prodigiis claram Gregorius XVI Pontifex Maximus anno millesimo octigentesimo quadragesimo tertio inter Beatas Virgines recensuit.

In III. Noct. Homil. in Evang. Simile est regnum coelorum decem Virginibus etc. *ut in comm. Virg.*

Die 15. Martii.

In festo S. Pulcheriae

Virg. Imper. *Duplex.*

Offic. de comm. Virg. except. seq.

Oratio.

Deus, qui beatam Pulcheriam virginem tuam singulari castitatis praerogativa decorasti, quique illi ad defendendam ecclesiam tuam summum fidei amorem tribuere voluisti; concede ut ejus intercessione, tibi puris mentibus inhaerentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dom.

Lect. I. Noct. De Virginibus.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Ælia Pulcheria Augusta, patre, avo, fratre, atque viro Romanorum imperatoribus maxime nobilis, profligatis sua praesertim opera haereticorum erroribus, et catholico dogmate circa incarnationis mysterium, et divinam maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus praedita fuit, ut ii, quibus post Arcadii patris obitum imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent; essetque constans opinio, unius puellulae virtute ac sapientia, quae instare atque in genere videbantur pericula discussa, et felicitatem imperio constitutam. Domi assidua disciplinae exactrix, eam vivendi formam induxit, ut illa jam non aula imperatorum, sed asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam

curavit, Flaccillam, Arcadiam, Marinam sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut quibus aetate non multum praestabat, earum moderatrix, ac propemodum mater esse videretur. Qua institutione sorores quantum profecerint, vel ex uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatae, se suamque virginitatem Deo devoverunt: Atque Augusta virgo, ut ea, quae decreverat amplius confirmaret, omnesque voluntatis suae testes haberet, ex auro, et pretiosis lapidibus sacram mensam in ecclesia Constantinopolitana pro virginitate sua, et fratris imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensae haec eadem inscriptis.

Lect. V.

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat: qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi, verique christiani principis exemplar fuerit, dum Pulcheriae consiliis est obsequutus. Post diuturnam cum fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in aula excitatis, tempus nacta quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, secessit in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene monasticam, aliquandiu se continuit. Cum vero felicitas imperii una cum ea exularet, a fratre accersita, ubi deesse vidit qui praelia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide ac religione armata processit: et missis in omnem partem epistolis, hortando, monendo, minitando, non pecuniae, non laboribus parcens, digna effecta est quam Patres Concilii Calcedonensis una omnium voce atque praeconio custodem fidei, pacis conciliatricem, expultricem haereticorum, piam, orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc imperatorem, novum Constantinum) consalutarent; cuique sanctus Leo totius romanae Ecclesiae nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se dicet, ac digna Deo vota persolvere, quod de nestoriona primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi et palmam contulerat, et coronam.

Lect. VI.

Atque hae tantae curarum moles, quas praesertim in ephesino ac chalcedonensi conciliis romanorum Pontificum auctoritate convocatis, necessario susceperat, nihilo illam ad cetera christianae pietatis officia obeunda facere segniorem. Assidue coelestium rerum contemplatione, sacrorum librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat. Psalmos, de nocte surgens, una cum regiae familiae principibus decantabat. Dei, ac Sanctorum (quorum colloquio non semel dignata est) cultrix eximia: quae etiam summopere semper contendit, ut erga eorum reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparae appellationem contra nestorianorum blasphemias asseruit; voluit namque summa sapientiae suae dispositione divina providentia, ut per virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur; quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem: cujus denique cultui amplificando complura templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, redditibus locupletavit. In placanda divina justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia pla-

ne singulari: quos et materna quadam charitate complexa est quoad vixit, et moriens eorum, quae assidua, effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit haeredes. Quod cautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari religionis studio, rebusque omnibus imperio dignissimum ipsa evexerat ad imperium; sibique hanc ipsam ob causam, salva, quam Deo noverat, virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadrigentesimo quinquagesimo tertio, magno omnium luctu, maximisque sanctorum Patrum, ceterorumque ejus aevi scriptorum laudibus celebrata.

IN III. NOCTURNO

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. *Cap. 17.*

In illo tempore dixit Jesus: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Alexandrini.

De fide ad Pulcheriam, et sorores reginas.

Sane vos sacras, castissimasque Christi omnium nostrum Salvatoris sponsas, religiosissimae, ac Deo dilectissimae imperatrices, orbis terrum ornamentum, sanctissimarumque ecclesiarum decus, optimo jure quisque appellaverit; in quibus nimirum omne virtutum genus, omnisque ornatus divinae majestatis oculis gratus, acceptusque mirifice splendet. Neque his opibus contentae, omnem quoque curam, omneque studium adhibetis, quo fide recta, nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Christi regnum capessere, et ea, quae illi grata sunt, facere et sentire omittitis; partim quidem praeclaris actionibus, partim rursum cum vestras, tum principum quoque vestrorum aulas virginitatis gloria condecorantes, partim denique sumptuosissima templa Christo Domino excitantes: nam et hoc quoque pietatis studium inter cetera ille sanctis vestris animis impertitus est.

Lect. VIII.

Igitur ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi sponsis (quamquam ad quodvis opus bonum abunde instructae videamini) aliquid depromam. Hinc etenim ut Emmanuelem verum ac naturalem Deum, et Virginem matrem, quae eum peperit, veram per ipsum Deiparam esse, planum fiet. Ait Christus: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Si cum solius verique Dei cognitione, Jesu Christi cognitionem necessariam, consociatamque esse oportet, et hoc ipsum aeternam vitam conciliat; cui obscurum esse potest, Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est; sed mansit interim Verbum.

Lect. IX.

Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipse ab hac quaestione nos liberat, dum ait: Ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum, secundum propriam hypostasim, alius a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate unum plane et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobiscum factum est? Ad eumdem omnino modum, puta secundum essentialem et naturalem

identitatem. At cum divina natura tanto a creatura distet intervallo, ut secundum essentiam cum ea coire nequaquam valeat; eoque, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo; ut quemadmodum in Deitate unum et idem est cum Patre; ita secundum naturae humanae habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Die 22. Martii.

In festo S. Francisci de Hieronymo

Confess. dupl.

Offic. de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur. In hym. M. S.

Oratio.

Deus, qui beatum Franciscum ad animarum salutem, eximium verbi tui praeconem effecisti; ejus nobis intercessione concede, ut legis tuae mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exequamur. Per Dominum.

In I. Noct. lect. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Franciscus de Hieronymo, in Tarentini agri oppido, cui Cryptaleae nomen, honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac coeli benedictione praeventus, pueritiam egit innocentissimis moribus praestantem, et futurae sanctitatis indiciis conspicuam. Duodecimo aetatis anno in quorumdam evangelicorum operariorum contuberninm admissus, in catechizandis rudibus adhuc adolescens diligentem operam posuit, et apostolico ministerio, ad quod Deus filium destinaverat, jam tum proludere visus est. Theologica studia Neapoli aggressus, et sacerdotio initiatus, ita vitae suae rationes ad evangelica consilia accomodavit, ut sacerdotis sancti nomen adeptus fuerit. Societatem Jesu ingressus, jactis in tyrocinio religiosae perfectionis, ardentissimae in Deum, et proximos charitatis, insignis patientiae, aliarumque virtutum fundamentis, quae majus in dies singulos incrementum accipiebant, theologiae curriculum confecit, et solemni quatuor votorum professione se se obstringens, eximium regularis observantiae exemplar evasit. Pro sacra expeditione ad Japoniam, quam martyrii cupidus in votis habuit, Neapoli retentus, praefecturam missionum jussu praesulum accepit, quod non sine Dei numine factum eventus comprobavit.

Lect. V.

Etsi enim corpore erat gracili, neque satis firma valetudine, ac praeterea carnem assiduis jejuniis, vigiliis, verberibusque macerabat, tamen tot opera in se suscipiens, quod ferendis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est quanta pro gloria Dei, quam unice quaerebat, egerit non solum Neapoli, sed et in aliis quoque ejusdem regni provinciis, quot labores et aerumnas tulerit, quanto cum fructu in agro dominico excolendo plus quadraginta annis desudaverit. Frequentes, et saepius plures eodem die habebat conciones per vicos, compita, et plateas, ad carceribus detentos, ad regiis triremibus mancipatos, ad milites, contra circulatores impudentes, contra publicos quosvis pectores, contra famae prostitutae mulierculas. Accedebant mirabilia signa, tremenda divinae ultionis adversus pervicaces documenta, scrutatio cordium, praedictio rerum fu-

turarum, ejus corporis diversis in locis apparitio, gratia sanitatum, annona divinitus multiplicata, vox etiam ex ore meretricis subita morte correptae extorta, quae se apud inferos esse palam denunciavit. Ex quo fiebat vix ut unquam e superiori loco ad populum diceret, quin insignem aliquem peccatorem Christo lucrifaceret. Interdum etiam decem, nonnumquam quindecim meretriculae simul sua crimina deflentes in concione ad poenitentiam confugerunt.

Lect. VI.

Assidua ejus opera fuit in aegrotis invisendis, in moribundis ad mortem rite praeparandis, in concordia animorum dissidentium conciliandа, in pauperibus ope ac solatio sublevandis. Communionem, quam dicunt generalem, singulis cujuslibet mensis tertiis diebus dominicis usque adeo promovit, ut saepe quindecim millia fidelium, aliquando viginti millia, aut eo amplius ad eucharisticam mensam convenerint. Exercitiis spiritualibus, ex S. Ignatii institutoris praescripto, sacerdotum coetus, virorum religiosorum, et virginum Deo devotarum monasteria, puellarum coenobia, studentium juvenum collegia et seminaria, atque omne hominum genus mirifice excoluit. Gravissimas difficultates et molestias, quas illi daemon excitabat, invicta patientia superavit; nec semel maxillam percutientibus submisso animo alteram praebuit: quin et acerbissimos dolores brachio captivi mahometani, qui eum percusserat, a Deo ultore inflictos, signo crucis repente cessare fecit, hominemque ad christianam religionem adduxit. Demum in coelum a Deo evocatus, placide efflavit animam in neapolitana professorum domo die undecima Maji anno millesimo septigentesimo decimo sexto, aetatis vero suae septuagesimo quarto. Quem meritis ac miraculis clarum, Pius septimus Pontifex Maximus in beatorum numerum retulit. Novisque signis a Deo illustratum, praesertim in patria, quibus de more probatis, Gregorius Papa XVI. solemni ritu in festo SS. Trinitatis anno millesimo octigentesimo trigesimo nono in Sanctorum albo adnumeravit.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Sint lumbi vestri etc. *ut in comm. C. non P.*

Die 6. *Aprilis.*

In festo S. Irenis,

Virg. et Mart. dup.

Offic. de comm. Virg. Lect. I. Noct. de scr. occ. II. et III. Noct. de eod. comm. etiam 1. *loco.*

Orat. Deus, qui inter caetera etc.

Die 8. *Aprilis.*

In festo S. Ildefonsi,

Archiep. Toletani semid.

Officium de comm. Conf. Pont. praet. seq.

Oratio.

Exaudi quaesumus Domine preces nostras, quas in beati Ildefonsi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Ildefonsus, qui et Alfonsus dicitur, natione Hispanus, Toleti nobilissimis Stephano, et Lucia parentibus ortus, omnique cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit praeceptorem Euge-

nium Toletanum antistitem, a quo miram ob indolem Hispalim ad Isidorum, mira tunc eruditione pollentem, est missus. Duodecim apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona, doctrinaque sana imbutus, Toletum remeavit ad Eugenium. Postquam vero factus est ob vitae candorem, peritiamque non vulgarem, ab Eugenio Ecclesiae Toletanae Archidiaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi monasterio, quod sanctis martyribus Cosmae et Damiano tunc erat dicatum, insigne pietatis cucullum induit. Cui neque parentes, jam prece, jam vi omnia tentantes, obsistere valuerunt, quin constanter in proposito permaneret.

Lect. V.

Monachi non multo post Ildefonsum in demortui Abbatis locum subrogarunt: suspiciebant siquidem in eo (praeter virtutes reliquas) aequitatem, morum facilitatem, prudentiam, raram sanctitudinem. Tantus itaque fulgor, tanta verae pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. Eugenio namque vita functo, Cleri, Senatus, totiusque populi decreto Toletanus Archiepiscopus est creatus. In quo quidem praesulatu quantum verbo Ildefonsus profecerit, quae miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de Virgine matre bene meritus, non facile quis explicare quiverit. Coenobium Virginum in Deilsensi villula aedificavit, ac magnis muneribus auxit. Haereticos quosdam, qui in Hispania haeresim Elvidianam, tollentem perpetuam Mariae Dei Genitricis virginitatem, disseminabant, doctissime confutavit, ab Hispaniaque depulit: quam disputationem explicavit libro, quem scripsit de Beatae Mariae virginitate, rem maculo confirmante. Cum enim Ildefonsus ad preces matutinas, Expectationis beatae Mariae in ecclesiam nocte descenderet, comites ejus in ecclesiae limine, fulgore quodam repentino deterriti retrocesserunt. Ille vero intrepidus ad aram progressus, Virginem ipsam vidit, et adoravit: ab eademque vestem qua in sacrificiis uteretur, accepit.

Lect. VI.

Cum etiam dies sanctae Leocadiae festus ageretur, et Clerus frequensque populus convenisset, Ildefonsus ad sepulcrum virginis Leocadiae accedens, flexis suppliciter genibus precabatur. Et ecce reserato repente sarcophago, Leocadia santissima prodiit: videntibusque cunctis, et audentibus, Ildefonsi merita de Virgine Maria commendavit, dicens: O Ildefonse, per te vivit Domina mea, quae coeli culmina tenet. Et praesule collaudato redibat. Ildefonsus, ne res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Reccesvinthi regis, qui forte tunc aderat, gladiolo velaminis partem, quo caput Leocadiae tegebatur, resecuit; eamque cum regio simul cultro celebri pompa in sacrarium intulit, ubi usque hodie servatur. Scripsit multa luculentiore sermone, quorum variis molestiarum occupationibus impeditus, aliqua coepta, aliqua semiplena reliquit. Obiit tandem divus Ildelfonsus feliciter ac sancte, cum sedisset in episcopatuannos novem, menses duos: sepultusque est in Basilica Leocadae circa annum Dominis excentesimum septuagesimum septimum, Reccesvintho in Hispania regnante. Cujus corpus in generali a Saracenis Hispaniarum occupatione in civitatem Zamorensem translatum est: et in ecclesia Beati Petri honorifice

quiescens, magna illius populi religione colitur.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Vos estis sal terrae, *ut in comm. Doct.*

Die 19. Aprilis.

In festo S. Leonis IX.

Pap. et Conf. *Duplex.*

Oratio.

Deus qui Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coaequasti: concede propitius; ut qui commemorationem ejus festa percolimus, vitae quoque imitemur exempla. Per Dominum.

In I. Noct. lect. scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Leo hujus nominis nonus, ex nobili Francorum prosapia oriundus, Dagsburgensis Comes, ac Tullensis Episcopus. Bruno antea dictus; omnium Cardinalium suffragiis, ac communi fidelium gratulatione ad sanctissimam Petri sedem evectus est, et in ea sedit annis quinque, duobus mensibus, diebus octo. Vir omni virtutum genere, et sacra doctrina eximius, ut apostolicum hoc munus impleret, nullis incommodi pepercit.

Lect. V.

Germaniam et Italiam saepius, Galliam semel visitavit. Habuit novem concilia, Rhemis, Moguntiae, Vercellis, Papiae, Romae ad res aurandos Christianorum mores. Multas litteras ad Imperatores, Reges, Patriarchas, Episcopos zelo pietate flagrantes scripsit. Legatos ad Imperatorem Constantinopolitanum pro reductione Graecorum semel atque iterum misit. Berengarium haereticum semel iterumque damnavit; et Michaelem Cerularium Patriarcham insignem schismaticum anathemate percutit.

Lect. VI.

Dum Romae ageret, ter in hebdomada a basilica Lateranensi ad Vaticanam nudis pedibus, noctu orans, et psallens pergebat. Principi Apostolorum decimam oblationum partem sibi de more competentem Pontificio diplomate cessit. Patrimonium suum proprium in erectionem monasterii impendit, unde etiam quotannis pecunia sumptus Rosae aurae, quam Romani Pontifices antiquo, et solemi ritu benedicunt. In pauperes et peregrinos effusam liberalitatem exercuit. Sub leprosi forma et habitu Christum aliquando proprio lecto excepit. Denique multis pro Ecclesia exantlatis laboribus obiit die decimanona aprilis anno millesimo sexagesimo quarto, ante, et post mortem multis miraculis clarus; ac sepultus est in Vaticano.

In III. Noct. Homil. In Evangelio Homo peregre.

Missa ut in festo S. Leonis in Missali, die 27. Iunii.

Die 23. Aprilis.

In festo S. Georgii.

Martyris *Semid.*

Omnia ut in Brev. praet. seq.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Georgius nobilibus parentibus in Cappadocia natus, sancte ab illis, et religiose educatus est: iis vero vita functis, adhuc adoloscens, tribunus militum factus, et aliis insignitus honoribus, sub Diocletiano Caesare militavit. Verum, cum edictis imperialibus persecutionem in Christianos erneret acrius dese-

vire, indigne ferens, opportunum quoque fore illud tempus existimans ad salutem, et ad martyrii gloriam; facultatibus suis in pauperes erogatis servisque libertate donatis, zelo fidei, ac religionis accensus, Imperatorem adiit, Jesum Christum verum Deum libere confessus, et ipsum de tam impia in Christianos crudelitate costanter accusat.

Lect. V.

Admiratus vehementer Imperator quod Georgius, praeter omnium opinionem, christianus esset, primo blandis illum verbis, ac pollicitationibus magnis, deinde minis, poenarumque terroribus a fidei sententia conatur avertere: sed cum nihil proficeret, nec ullo modo Viri constantiam posset de pio et sancto proposito dimovere, jubet ipsum in carcerem trudi, ibique dire affligi, tum verberibus caesum, rota mucronibus praefixa ad ejus corpus admota laniari, deinde torreri in sartagine, varieque torqueri; quam ille tormentorum vim ubi alacri et forti animo tulisset, indeque incolumis mirabiliter evasisset, plurimos suo exemplo ad fidei constantiam excitavit.

Lect. VI.

Impius autem persecutor, cum eximiam hujusmodi martyris fortitudinem, non divinae virtuti, ut par erat, sed magicis artibus adscriberet, ipsum varie tentatum, atque in sententia nihilominus persistentem, securi percuti jubet. Georgius igitur fortiter, data cervice, martyrii corona dignatus est. Corporis ejus reliquiae diversas in regiones delata, maximo ab incolis habentur honore. Caput Romae in Diaconia Sancti Georgij ad Velabrum honorifice asservantur: et ipsius Martyris nomen, non solum in Oriente, ubi passus est, sed in Occidentis oris etiam ubique clarissimum est; quem implorantibus ejus auxilium propitius adesse consueverit, Reges praesertim, et Principes saepius in militari conflictu experti sunt. Frequentes etiam ejusdem Martyris memoriae ubique testantur.

Die 24. Aprilis.

In festo S. Fidelis a Sigmaringa.

Mart. Dupl.

Omn. de comm. un. Mart. T. P. praet. ea, quae hic habentur.

Oratio

Deus, qui beatum Fidelem serafico spiritus ardore succensum in verae fidei propagatione martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es: ejus quaesumus meritis, et intercessione ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Fidelis in oppido Sveviae Sigmaringa, ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte aetate singularibus naturae et gratiae donis ornatus praefulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optima imbutus disciplina, dum Friburgi philosophiae et juris utriusque lauream emeruit, in schola etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtutum exercitio contendere coepit. Nobilium exinde Virorum varias Európae provincias lustrantium comes adscitus, eos ad christianam pietatem sectadam tam verbis, quam operibus excitare non

destitit. Quinimo in eodem itinere crebris austeritatibus desideria carnis mortificare, ac ita seipsum regere studuit, ut in tanta rerum vicissitudine nulla unquam visus fuerit irae motum perturbari. Juris praeterea, et justitiae strenuus propugnator, post reditum in Germaniam, celebre sibi nomen acquisivit in Advocati munere; in quo tamen, cum fori pericula esset expertus, tutiorem aeternae salutis viam ingredi deliberavit; et superna vocatione illustratus, paulo post Ordini Seraphico inter Fratres Minores Capuccinos adscribi petiit.

℟. Lux perpetua etc.

Lect. V.

Piae petitionis compos redditus, mundi suique contemptor insignis in ipso statim tyrocinio, magisque cum solemnis professionis vota in gaudio spiritus Domini nuncupasset, in regulari observantia omnibus admirationi fuit, ac exemplo. Orationi maxime, et sacris litteris vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens, nedum Catholicos ad meliorem frugem, verum etiam Heterodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis Coenobii Praefectus constitutus prudentia, justitia, mansuetudine, discretione, et humilitatis laude, munus sibi demandatum exercuit. Arctissimae paupertatis zelator egregius quidquid vel minus necessarium videretur, e Coenobio penitus eliminavit. Inter austera jejunia, vigilias, et flagella salutari seipsum prosequens odio, in alios amorem, quasi mater in filios ostendit. Cum pestifera febris Austriacas militares copias dire affligeret, ipse in extremis infirmorum indigentiis ad assidua charitatis officia toto spiritus ardore incubuit, in componendis etiam animorum dissidiis aliisque proximi necessitatibus sublevandis, consilio et opere adeo praeclare se gessit, ut Pater Patriae meruerit appellari.

℟. In servis suis alleluja.

Lect. VI.

Deiparae Virginis, et Rosarii cultor eximius, illius praecipue, aliorumque Sanctorum patrociniis a Deo postulavit, ut in catholicae fidei obsequium vitam sibi, et sanguinem fundere liceret. Cumque ardens hoc desiderium in quotidiana Sacri devota celebratione magis accenderetur, mira Dei providentia factum est, ut fortis Christi Athleta Praeses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de Propaganda Fide pro Rhaetia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto, hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, pluribus haereticis ad orthodoxam fidem conversis, spes non modica effulserit totius illius gentis Ecclesiae et Christo reconciliandae. Prophetiae dono praeditus, futuras Rhaetiae calamitates, suique necem ab Haereticis inferendam saepius praedixit. Postquam vero insidiarum probe conscius impendenti agoni se praeparasset, die vigesimaquarta Aprilis anni millesimi sexcentesimi vigesimi secundi ad Ecclesiam loci Sevisium nuncupati, se contulit, ubi ab Haereticis, qui pridie conversionem simulantes, eum dolose ad praedicandum invitaverant, concione tumultuarie interructa, per verbera, ac vulnera eidem crudeliter inflicta, gloriosam mortem magno et alacri corde perpessus, primitias Martyrum memoratae Congregationis proprio sanguine consecravit: pluribus signis et miraculis exinde clarus, praesertim Curiae et Velde-

khichii, ubi summa populi veneratione, illius reliquiae asservantur. Quem Benedictus XIV in sanctorum numerum retulit.

℟. Filiae Jerusalem etc.

IN III. Noct. Homil. in Evang.

Ego sum vitis vera de comm. Mart. T. P.

Die 26 Aprilis.

In festo Apparitionis B. M. V.

DE BONO CONSILIO.

Dupl. maj.

Omnia ut in Offic. parvo B. M. V., praeter ea, quae sequuntur.

Ad Vesperas.

℣. Dignare me, laudare te Virgo sacrata. All.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos. All.

Ad Magnificat, Antip.

Sancta Maria succurrere miseris, juva pusillanimes, refove flebiles; ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto faemineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuae sanctae Imaginis Apparitionem. All.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam imaginem mira apparitione clarificare voluisti; concede quaesumus, ut ejusdem Beatae Mariae Virginis intercessione ad caelestem patriam feliciter perducamur. Per eundem Dom.

Ad Matutinum Invitatorium.

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo. * intercede pro nobis.

Psalm. Venite exultemus etc.

HYMNUS.

Plaude festivo, pia gens, honore,
Dum Genestani veneraris Ædem,
Qua Dei magna Genitricis alma
Splendet Imago.
Haec ubi mira specie repente
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc aegris aderat; molestos
Corporis morbos, animique pellens
Longe et aerumnas Latio imminentes
Ipsa fugabat.
Virgo quae magnis decoras signis,
Nunc quoque effulges, miseris juvamen
Affer, et fusis patiens clientum
Annue votis.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat.
Trinus et unus Amen.

IN I. NOCTURNO.

De libro Proverbiorum. *Cap.* 2.

Lect. I.

Si intraverit Sapientia cor tuum, et scientia animae tuae placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur, qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas: qui laetantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis; quorum viae perversae sunt, et infames gressus eorum.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lect. II. *Cap. III.* 21.

Fili mi, ne effluant haec ab oculis tui: custodi legem atque consilium: et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus. Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum; quia cum essem parvula, placui Altissimo, * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus — Et de meis visceribus.

Lect. III. *Cap. 8.*

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium et aequitas; mea est prudentia; mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me invenient me.

℟. Beata es Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum — Genuisti — Gloria Patri — Genuisti.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

In Natali S. Joann. Bapt.

Hominem concepit Elisabeth, hominem Maria: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum et hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola Matre, qui fecit primum hominem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit, quando foemina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis; permansit enim serpens peccatum, et admissus est male suadens. Si primus noster casus fuit, cum foemina concepit corde venena serpentis; non mirandum, quod salus nostra facta est, cum foemina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus, uterque fuerat reperandus. Per mulierem in interitum missi eramus; per mulierem nobis reddita est salus.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrra electa * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans — Dedi.

Lect. V.

De Sermone S. Fulgentii Episcopi.

De Laud. Mariae.

Quoniam diabolus per serpentem Hevae locutus, per Hevae aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, et cunctis saeculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Hoc splendore concipitur Dei Filius; hac munditia generatur. De coelis medicus transiens per Virginem, post transitum suum illaesam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo; quanto magis in sua Matre quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potius quam decrevit; et virginitas ampliata est potius, quam fugata.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium — Viderunt eam.

Lect. VI.

Maria quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta: Salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Sic enim eum legitur salutasse: Ave Maria, gratia plena, benedicta inter mulieres. Et ut nihil non sublime esset in hac Sanctissima Virgine, quam Angelus gratia plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiam imagines summo essent in honore; et prodigiis miraculisque clarescerent. Quas inter, ea tribus abhinc saeculis praecipuo honore colitur, quae Paulo II sedente, mirabiliter apparuisse in pariete ecclesiae Patrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Oppido Genestani Praenestinae dioecesis, ex Pontificibus diplomatibus, et supparibus monumentis comprobatur. Quibus permotus Pius Papa VI praefatis ejusdem Oppidi Coenobitis officium proprium concessit septimo Kalendas Majas, ipso scilicet apparitionis die recitandum; ac deinde illud, die quae immediate subsequitur, pro ejus recitatione in posterum assignata, ad universum praedictum Ordinem sub ritu duplicis majoris extendit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt, dicentes, * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate — Et videntes — Gloria Patri — Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lect. VII.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum. *Cap.* 1.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Thomae Episcopi.

In Nativitate B. M. V.

Cogitanti mihi, ac diu haesitanti quid causae sit, quod cum Evangelistae de Joanne Baptista, et aliis Apostolis tam longum fecere tractatum, de Virgine Maria, quae vita et dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam: cur, inquam, non traditum est memoriae quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum Filio in humanis egerit, quomodo cum illo conversata sit, quomodo post ejus Ascensionem cum Apostolis vixerit? Magna erant haec, et memoratu digna, et quae cum summa devotione a fidelibus legerent. Quis enim dubitat, quin in ejus nativitate et pueritia mira multa contigerint; et puella haec in teneris annis stupendum saeculis virtutum omnium monumentum extiterit?

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, * Quia ex te ortus est sol justitiae Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuae sanctae Imaginis Apparitionem — Quia.

Lect. VIII.

Haec mihi haesitanti, cur de actibus Virginis, sicut de actibus Pauli, non est compositus liber, nihil aliud occurrit (accusare enim Evangelistas negligentiae, sicut impium, ita et temerarium indico) quam ita placuisse Spiritui Sancto; ejusque providentia Evangelistas siluisse, propterea quia Virginis glo-

rio, sicut in psalmis legitur, omnis intus erat, et magis cogitari poterat, quam describi; sufficitque ad ejus plenam historiam; quia de illa natus est Jesus. Quid amplius quaeris? Quid u tra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est.

℟. Beatam me dicent omnes generationes,* Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum — Quia — Gloria Patri — Quia.

Lect. IX.

Non eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi eam animo depingendam reliquit, ut intelligas nihil illi gratiae, aut perfectionis, aut gloriae, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imo reipsa intellectum omnem superasse. Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit, ne putares, quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Si ancillas suas, et ministros domus suae potentissimus Dominus ita mirifice decoravit, ita donis et gratiis venustavit; qualem existimas condidit Matrem suam, unicam Sponsam suam, quam sibi ex omnibus elegit, et prae omnibus adamavit? Omnibus eam Altissimus praeposuit, non solum virgineis, sed etiam angelicis choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitudo. Quidquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc breviloquio clauditur: De qua natus est Jesus. Haec longa et plenissima historia ejus est.

Te Deum laudamus. etc.

Ad Laud. et per Horas Ant. Dum esset Rex. *Capit.* Ab initio. *Hymn.* O Gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ant. ad Benedictus.

Beata es Maria, quae credidisti: perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino. All.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam imaginem mira Apparitione clarificare voluisti: concede quaesumus, ut ejusdem B. M. Virginis intercessione ad caelestem patriam feliciter perducamur. Per eumdem.

In II. Vesp. ut in primis.

Ad Magnificat. Ant.

Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Die 5. Maii.

In festo S. Angeli Martyris

Ordinis Carmelitar. *Duplex.*

Omnia ut in comm. Martyr. T.P. praet. ea, quae hic assignantur.

Capitulum. Sap. 5.

Stabunt* justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum.

HYMNUS.

Hac die laetus meruit supernae
Angelus Martyr patriae coronam,
Gaudeat sanctae Genitricis Ordo,
Gaudeat Orbis.

Virginis jussu fidei parentes
Hauriunt lumen, geminoque (quamvis
Mater annorum senio gravetur)
Pignore gaudent.

Angeli nomen vocat ipsa Virgo,
Nuntians qualis foret illa proles,
Quae datum coelo Superum favore
Nomen haberet.

Ut jugum Christi teneris ab annis
Portet, infantis pia cura novit,
Subtrahens labris alimenta lactis,
Membra domare.

Saeculi spernens pereuntis actus,

Et timens hostis rabiem furentis,
Sacra Carmeli properanter ardet
Claustra subire.
Candido velans humeros amictu,
Lucet ut casti speculum pudoris,
Spiritu pauper, patris imperantis
Pendet ab ore.
Gloriam Patri, Genitoque Patris,
Flamini Sancto pariter canamus,
Et piae Matris celebremus omnes
Semper honorem. Amen.

Oratio.

Plebs tua te, Domine, beati Angeli Sacerdotis et Martyris tui glorificatione sanctificet: et eodem intercedente, te mereatur habere rectorem. Per Dominum.

Ad Matutinum. Hymnus.

Abditos quaerit nemorum recessus,
Ut queat mundo latitare solum
Arbitrum vitae, cupiens habere
Cuncta videntem.
Sed Deus signis famulum revelat:
Ad preces Sancti, gravitate pulsa,
Cernitur durum medio natare
Gurgite ferrum.
Angelus forti dominatur undae,
Impetum verbo cohibens potenti,
Dividit flumen, pedibusque siccis
Trajicit undas.
Sanat aegrotos, maculasque leprae
Mundat; ad vitam revocat sepultos
Pallii tactu, referens ubique
Gesta parentis.
Gloriam Patri, Genitoque Patris,
Flamini Sancto pariter canamus,
Et piae Matris celebremus omnes
Semper honorem. Amen.

In I. Noct. Lect. Fratres debitores *de comm. plur. Mart.*

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Angelus, nobilibus parentibus ad fidem conversis per visum beatissimae Virginis, prolem nomenque praenuntiantis, Jerosolimis ortus, angelicae virtutis ab infantia specimen dedit. Qui quarto aetatis anno orbatus utroque parente, sub Nicodemi Patriarchae disciplina adeo feliciter profecit, ut annum agens decimum octavum, trium linguarum, Philosophiae, ac sacrae Scripturae peritissimus, beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo Religioni seipsum devoverit; ubi mira orandi assiduitate, et austeritate vitam duxit angelicam. Quemadmodum enim vix, nisi necessitate coactus, adhuc infans lac sugebat: sic in excursu vitae totius, carnibus, lacteis cibis, ac vino prorsus abstinens, victu tenuissimo panis dumtaxat et aquae, vel rarius herbarum etiam, et leguminum utebatur: ferrea subucula macerabat corpus, humique lorice una substrata, tectus altera cubabat. Vigiliis ac precationibus ita erat intentus, ut quotidie, praeter officii divini pensum, totum psalterium flexis genibus perlegebat.

Lect. V.

Insignem sanctitate virum, patribusque suis Eliae et Eliseo persimilem, miraculis Deus similibus illustravit. Ferrum enim, quod in Elia fontem e manubrio securis exciderat, supernatare fecit. Jordanem exundantem jussu sistens; cum sociis, aliisque septuaginta, siccis pedibus pertransiit. Igne caelitus immisso, Saracenos Christianorum navem invadentes, combussit; aliis visum ademit, moxque fidem amplexantibus, restituit. Septem leprosos ipsius monitu a peccatis resipiscentes, aquae lotione mundavit. Energumenos, caecos, surdos, aliosque permultos variis morbis obnoxios in sanitatem asseruit. Mortuum biduanum Bethlehemitem pallio suo contectum oratione fusa suscitavit: et quod summopere mi-

randum est, sex vita functi eodem pallio a viris piis obtecti, ad vitam revocati sunt.

Lect. VI.

Tot virtutum ornamentis, et miraculis clarus, honorem eximium, qui ei passim deferebatur, detrectans, in desertum Christi jejunio consecratum clam secessit, ibique per quinquennium angelico pane nutritus, divinae contemplationi vacavit, donec jussus a Christo, qui multo Angelorum, ac Sanctorum comitatu stipatus illi apparuit, in Siciliam iter instituit. Obvios vero plurimos, et Christianos a vitiis, et Judaeos, ac Saracenos ab infidelitate convertit: et velut nubes imbrifera praedicando circumquaque discurrens, innumeras Christo lucrifecit animas. Romam perveniens, a sanctis viris Francisco et Dominico agnitus, et honore habitus, et familiariter tractatus, beato Francisco Stigmatum impressionem praedixit, a quo et sui martyrii praedictionem accepit. Leocatam denique petivit; ubi a nefario quodam, quod sororem publice poenitentiam agere fecisset, ac ipsum a publico incestu avertere conaretur, in media concione quinquies pugione perfossus est, flexisque genibus pro persecutore, populoque precatus, psalmum *In te Domine speravi* pronuntians, ad versum *In manus tuas* e coelo ad triplicem aureolam vocatus, animam sub columbae candidissimae specie visam, efflavit: et clarissima lux corpori affulgens, cantusque coelestes, ac suavissimus odor, Martyris exitum honestarunt.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ego sum vitis vera, *de eod. comm.*

AD LAUDES

Hymnus.

Dum sub obscuris meditatur umbris,
Coelitus victum Superi ministrant;
Inde sed Christi revocatus ore,
Antra relinquit.
Praescius morti sibi destinatae;
Vatis Eliae duplici repletus
Spiritu, Christi, generosus haeres
Zelat honorem.
Fratris horrendum scelus, et sororis
Dum palam carpit, ruit ille caeco
Impetu in Sanctum; ceciditque diro
Vulnere caesus.
Laurea tandem triplici beatus,
Martyr, et Virgo, pariterque Doctor,
Carne devicta, meritisque plenus
Æthera scandit.
Gloriam Patri, Genitoque Patris,
Flamini Sancto pariter canamus,
Et piae Matris celebremus omnes
Semper honorem. Amen.

Die 11. Maii.

In festo S. JUVENALIS Martyris

Duplex.

Offic. de comm. un. Mart. T.P. praet. ea, quae sequ.

Oratio.

Deus, qui per beatum martyrem Juvenalem Ecclesiam tuam mirabiliter illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis, ut sicut ejus patrocinio gloriamur in terris, ita eum videre mereamur gloriosum in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Juvenalem martyrem miraculis claruisse, praesertim vero Beneventi, memoriae proditum legimus. Nam cum civitas peste crudelissima vastaretur, ejus patrocinio pristinae incolumitati restituta fuit. Quapropter eum inter Patronos cooptavit, et praecipuo cultu etiam nunc veneratur. Sancti martyris exuviae in insigni sanctae Sophiae templo hono-

rifice conditae sunt, ubi laicorum ejus honori addictum collegium habetur.

Lect. V.

Sermo S. Petri Chrysologi.

De S. Cypriano 129.

Quoniam hodie Deo in natali S. Juvenalis martyris convenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphavit, et quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum; ideo exultare nos convenit, et laetari. Natalem ergo Sanctorum cum auditis, charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne; sed de terra in coelum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, et stabiles, et aeternas; de mundanis risibus ad coronam et gloriam. Tales natales digne martyrum celebrantur.

Lect. VI.

Cum ergo hujusmodi festivitas agitur, noli aestimare, charissime, quod in solis prandiis et profusioribus epulis natales martyrum celebrentur; sed imitandum tibi proponitur quod in memoria martyris celebras. Aspice ergo, charissime, alacritatem populi circumstantis; in hac enim die aliquando turba astitit impiorum, cum sanctus Juvenalis jussu tyranni feriretur: turbae erant malorum, expectantium chori: nunc multitudo fidelium ad collaetandum devota confluxit; tunc turba saevientium, nunc exultantium: tunc desperatorum, nunc sperantium.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Ego sum vitis, vos palmites, *ut in comm. Martyrum temp. Pasch.*

Die 12. Maii

In festo S. Epiphanii

Episc. et Conf. *Duplex.*

Offic. de comm. Conf. Pontif.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Epiphanii Confessoris atque Pontificis mira doctrina, et munificentia in pauperes clarificare dignatus es: da nobis quaesumus, et quae docuit, intellectu conspicere; et quae egit, imitatione complere. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Epiphanius Salaminae Cypri Episcopus, multiplici eruditione, ac sacrarum litterarum scientia excelluit. Vitae quoque sanctitate, zelo catholicae fidei, munificentia in pauperes, et miraculorum virtute extitit admirandus. Demum innumeris pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus, virtute coruscans ac meritis, ad coelestia regna migravit. Ejus reliquiae sub principe ara Metropolitanae Basilicae honorifice coluntur.

Lect. V.

Sermo S. Gregorii Nisseni.

In fun. mag. Melet.

Cum primum bene morata ac modesta Ecclesia beatum Epiphanium vidit, vidit faciem ad imaginem Dei vere formatam; vidit dilectionem fontis modo scaturientem; vidit gratiam labiis circumfusam, animi demissionis summum gradum, post quem amplius quidquam cogitari non potest. Vidit mansuetudinem atque clementiam, qualis in Davide fuit: qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam: qualis in Moyse, bonitatem: qualis in Samuele, perfectionem; qualis in Josepho, continentiam pudicitiamque:

qualis in Daniele, sapientiam: quemadmodum magnus Elias, zelo fidei praeditum: sicut sublimis Joannes, integritate corporis ornatum: sicuti Paulus, inexuperabili praeditum dilectione. Vidit tot bonorum circa unam animam concursum. Amore beato vulnerata est, casto bonoque sponsum suum amore, atque benevolentia prosecuta dilexit.

Lect. VI.

Sed priusquam cupiditatem expleret, antequam desiderium recrearet, atque sedaret, amoris vi fervens, tentationibus athletam ad certamina vocantibus, sola relicta est. Atque illa quidem in certaminibus pro pietate susceptis desudabat; haec vero durabat, in castitate matrimonium conservans. Non ablatus est a nobis sponsus: in medio nostrum stat, etiam si nos non videamus; in adytis ac penetralibus Sacerdos est, in interioribus veli, quo praecursor pro nobis ingressus est Christus, reliquit carnis tegumentum. Non amplius signo, et umbrae coelestium servit, sed in ipsam rerum imaginem intuetur, non amplius per speculum, atque transennam, et aenigma, sed ipsa facie cum facie collata intercedit apud Deum.

In III. Noct. Homil. in Evang. Homo peregre proficiscens etc. *ut in Brev. Rom.*

Die 14. Maii.

In festo S. Bonifacii Martyris.

Duplex.

Offic. de comm. un. Mart. T. P. Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV. et V. ut in Brev. Rom. die 14. huj. mensis.

Lect. IV.

Quod factum cum ab Angelo Agiae Matrona, quae et ipsa poenitens se piis operibus addixerat, cognovisset: prodiens obviam sancto corpori, Ecclesiam ejus nomine aedificavit; in qua corpus sepultum est, nonis Junii, cum ejus anima pridie idus Maii apud Tarsum Ciliciae urbem migrasset in coelum, Diocletiano et Maximiano imperatoribus. Quod postremo Beneventum delatum, in celebri sanctae Sophiae templo reconditum fuit. Quo tempore id factum fuerit, incompertum tamen est. Praeterea ejus reliquiae sub ara maxima principis basilicae honorifice contumulatae habentur. Festum vero Cardinalis Archiepiscopi Ursini mandato hac die celebratur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ego sum vitis vera etc. *ut in Brev. Rom. de comm. Martyrum temp. Pasch.*

In festo S. Liberatoris

Episc. et Mart. *Duplex.*

Offic. de comm. un. Martyr. T. P. praet. seq.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut sicut beatum Liberatorem Martyrem tuum atque Pontificem veneramur in terris, ita eum apud te intercessorem sentiamus in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Liberatorem alterius ex Aprutinis civitatibus, seu Arianensis Pontificem fuisse ferunt. Et miraculis floruisse, ac martyrii palma decoratum obiisse, memoriae est prodi-

tum. Abest non longe a civitate Ecclesia ejus nomine insignita, quae toti etiam viciniae nomen attribuit. Ibi magna populi frequentia quotannis ejus dies festus agitur. Et in beneventana civitate ejus reliquiae in sanctae Sophiae insigni templo honorifice sitae, non minori cultu et pietate concelebrantur.

Lect. V. de Epist. S. Cypriani Ep. et Mart. ad Martyr. et Confess. Quibus ego vos laudibus praedicem, fortissimi Martyres? etc., *ut in comm. T. P.*

Lect. VI. de eadem Epist. S. Cypriani

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evangel. Ego sum vitis, vos palmites, *ut in Brev. Rom.*

Die 21. Maii.

In festo S. Felicis a Cantalicio

Conf. Duplex.

Offic. de comm. Conf. non Pontif.

Oratio.

Deus, qui beatum Felicem Confessorem tuum evangelica simplicitate, vitaeque innocentia in Ecclesia tua clarescere voluisti: fac nos ejus exemplis eruditos, et suffragiis adjutos, ad Christum Jesum, quem ipse in terris inter ulnas accepit, feliciter pervenire. Qui tecum etc.

In I. Noct. lecl. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Felix a Cantalicio humilibus, sed piis parentibus natus, a puero inter pascendi gregis, agrique colendi exercitationes tyrocinium vitae sanctioris inchoavit. Cum enim, narrando, audisset asperrimam vitae rationem, quam sancti viri duxerant in eremo, statim studio aemulae mortificationis exarsit, et carnis vires, ne spiritui repugnarent, non solum rusticanis continuis laboribus, sed vigiliis etiam ac jejuniis domare coepit. Ferventiori autem in Deum pietate incensus, cum sacris quotidie interesse mysteriis optaret, interdum tamen praepeditus ecclesiam adire non posset, consulto gregem ducebat ad pascua solitaria, ibique ante Crucis signum, quod arborum corticibus impresserat, crebis cruentisque flagellationibus innocens corpus dilaniabat. Nec defuit miraculum, quo neque officio, neque pietati deesset; eodem enim tempore glebas simul aratro vertere in agro, et Missae sacrificio in templo adstare visus fuit. Diuturno igitur austeritatis experimento probatus, ad duriorem regularis disciplinae palaestram evocatus est. Cunctantem tamen, et ancipiti consilio haerentem divini praesidii perspicuum testimonium inflammavit, et impulit. Siquidem inter arandum, cum incitati boves in terram illum elisissent, impacato, ductoque super jacentis corpus vomere, quo conteri debuisset, solis vestibus dilaceratis, surrexit illaesus. Statim igitur Deo vocanti parendum ratus, rustica supellectili divendita, pretioque pauperibus erogato, ad Fratres Minores, quos Capuccinos vocant, propere se contulit.

Lect. V.

In ipso probationis anno, magisque adeo post emissam solemnem, professionem diffusa in corde ipsius charitas Christi ad exercendas heroicas virtutes mirum excitavit incendium. Obedientiae sedulus cultor, Superiorum nutibus non obsequi modo, sed explorando etiam praevertere satagebat. Quando studio paupertatem, quantoque odio pecuniam prosequeretur, admirabili eventu voluit Do-

minus esse testatum. Cum enim quodam die panem ex obedientia quaerens, manticas humeris impositas gestaret, in tolerando autem onere praeter morem, insolitaque anxietate fatigaretur, causae inscius servus Dei manticas scrutatus, nummulum clam immissum deprehendit: quo projecto conculcatoque, omni fatigatione levatus est. Castitatem ab incunabili ad extremum usque spiritum servavit illibatam, quam et vigili oculorum custodia, et voluntariis corporis cruciatibus communivit, ferreo cilicio constrictus, et asperrimis flagellis ter sese per noctem cruentans. Nihil avidius, quam ludibria, et contumelias, suique contemptum appetebat. Coenobii jumentum cum se reputaret, vilissima quaeque ministeria semper arripuit. Ostiatim mendicans pro alendis Fratibus, vicos et plateas urbis quadraginta annorum spatio nudis pedibus obivit. Celeberrimas septem ejusdem Almae Urbis basilicas interula ferreis anulis contexta ad carnem indutus, frequens invisebat. Consueta jejunia pro sui Ordinis instituto nedum exacte servavit, sed supra communem Fratrum usum; singulas quoque quadragesimas Seraphici Patris jejunio consecratas, admirabili austeritate transegit; et interdum statutis quibusdam diebus ab omni prorsus alimento abstinuit. Lectus ejus doloris potius, quam quietis erat: rudi nempe sarmentorum fasce capiti supposito, brevem somnum super nudas tabulas flexis genibus carpebat.

Lect. VI.

Quanquam salutari odio in seipsum saevire consueverat, mira tamen in alios suavitate charitatis utebatur. Omnibus omnia factus, opet consilio nemini defuit. Cunctis proinde charus acceptusque, sanctis praesertim Carolo et Philippo Nerio, ob evangelicam simplicitatem, perspectamque innocentiam in oculis erat. Pauli quinti oraculo Sanctus corpore et spiritu est appellatus. Orationi mirifice addictus, secunda noctis hora saepissime inceuatus ad ecclesiam festinabat: ibique in rerum divinarum contemplatione pernoctans; dulcissimas frequenter ecstases passus est, et aliquando in ulnis suis a Virgine Matre reclinatum puerum Jesum deosculari, ejusque jucundissimo aspectu, complexuque frui promeruit, et futura praedixit. Coelesti igitur lumine ex intimo Dei consortio magis in dies perfusus, et cordium abdita perspexit. Gratia etiam miraculorum dotatus, demortuum filium matri vivum restituit. Meritis tandem cumulatus, imminenti obitu praenuntiatio, lethali morbo decubuit, atque inter manus Beatissimae Virginis, a qua ad coelestem patriam invitabatur, ecclesiae sacramentis munitus, supremam horam placidissime clausit feria secunda Pentecostes, annos natus quatuor et septuaginta. Ejus corpus in sui Ordinis Ecclesia summa Urbis veneratione colitur, Domino assiduis miraculis servi sui sanctitatem illustrante. Quibus permotus Urbanus VIII Felicem Beatum rite appellavit: Clemens vero XI. insigni celebritate Sanctorum fastis adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lect. VII. *Cap 11.*

In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Serm. 9. de Verb. Dom.

Omnia saeva et immania, prorsus facilia, et prope nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Quam facile toleratur quaelibet adversitas temporalis, ut aeterna poena vitetur, aeterna requies comparetur? Non immerito ille vas electionis cum ingenti laetitia dixit: Non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum suave est et sarcina levis, et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Lect. VIII.

Sed quae dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus. Propter quod ita divinae pietatis dispensatione dictum est, interior homo, qui renovatur de die in diem, non adhuc sub lege positus, sed jam sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium observationum, quod erat revera grave jugum, sed durae cervici convenienter impositum, facilitate simplicis fidei, et bonae spei, et sanctae charitatis, quidquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille princeps, qui missus est foras, interiori gaudio fieret leve.

Lect. IX.

Nihil enim tam facile bonae voluntati est, quam ipsa sibi: et haec sufficit Deo. Quantumlibet ergo saeviat iste mundus, verissime Angeli, nato in carne Domino, clamaverunt: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Quia qui natus erat, suave jugum est, et sarcina levis. Et sicut dicit Apostolus: Fidelis Deus, qui nos non sinit tentari supra id, quod possumus ferre; sed facit cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere.

Die 22. Maii.

In festo S. Constantii

Episc. et Conf. *Duplex.*
Offic. de comm. Conf. Pont.
Oratio.

Deus, qui per beatum Constantium Confessorem tuum atque Pontificem Ecclesiam tuam illustrare voluisti: concede nobis famulis tuis, ut ejus intercessione ad coelestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Constantius Caesarum genere natus, et Constantinopolitanae Ecclesiae, ut quidam ferunt, praefectus, doctrina, ac vitae castimonia occidentalem quoque Ecclesiam illustravit. Vivus, et post mortem miraculis claruisse traditur. Ejus sanctissimum pignus ad Caprearum insulam apud promontorium Minervae delatum, multa incolis contulit beneficia. Et in primis cum Agareni anno saeculi noni primo et octogesimo, Calabria vexata, classe Campana littora peterent, et in Capreas essent appulsuri, non defuit sanctus Christi Confessor, per quem divinitus horribili tempestate excitata recedere sunt coacti. In hujus Sancti honorem erat olim Beneventi parcechialis Ecclesia, quae ad praesens in alium usum conversa, nova spatii accessione Seminarii aedes ampliores reddidit. Sacras ejus exu-

vias in ara maxima Metropolitici templi sitas veneramur.

Lect. V. et VI. ex Serm. S. Gregorii Papae Tantum debet actionem populi etc. *ut in fest. S. Adjutoris die 28. Jan.*

In III. Noct. Homil. in Evangelio Homo peregre proficiscens *ut in Brev.*

Die 25. Maii.

In festo S. Gregorii VII.

Pp. et Conf. *Duplex.*

Omn. de comm. Conf. Pontif. praet. seq.

Oratio.

Deus in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium Confessorem tuum, atque Pontificem, pro tuenda Ecclesiae libertate virtute constantiae roborasti: da nobis ejus exemplo et intercessione omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Gregorius Papa Septimus, antea Hildebrandus, Soanae in Etruria natus, doctrina, sanctitate, omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis, illa Davidici elementa oraculi, Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine; quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione S. Petri educatus est. Juvenis ecclesiae libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regula Sancti Benedicti austerioris vitae observantia eo tempore maxime vigebat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinae Majestati deserviebat, ut a sanctis ejusdem coenobii Patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum monasterii S. Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus, sub summis Pontificibus Leone Nono, Victore Secundo, Stephano Nono, Nicolao Secundo, et Alexandro Secundo, praecipuis muneribus, et legationibus perfunctus est; sanctissimi et purissimi consilii vir a beato Petro Damiano nuncupatus. A Victore Papa II. Legatus a latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam haeresis abjurationem compulit. Cadolài quoque schisma sua virtute compressit.

Lect. V.

Mortuo Alexandro Secundo, invitus et moerens unanimi omnium consensu, decimo Kalendas Maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei; nam potens opere et sermone, ecclesiasticae disciplinae reparandae, fidei propagandae, libertati ecclesiae restituendae, extirpandis erroribus et corruptelis tanto studio incumbuit, ut ex Apostolorum aetate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majore pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias a simoniaca labe

expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus, fortis per omnia athleta, impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit; ac eumdem Henricum in profundum malorum prolapsum, fidelium communione, regnoque privavit; atque subditos populos fide ei data liberavit.

Lect. VI.

Dum Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e coelo delapsa humero ejus dextero insidens, alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, Spiritus sancti afflatu, non humanae prudentiae rationibus ipsum duci in Ecclesiae regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Romae gravi obsidione premeretur, excitatum ab hostibus incendium signo crucis extinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo Duce Normanno ereptus, Cassinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandum Ecclesiam S. Matthaei Apostoli contendit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad populum, aerumnis confectus, in morbum incidit, quo se interiturum praescivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt quae vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in Urbe Synodis sapienter constituit Vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiae defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim, migravit in coelum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita, et post mortem miraculis clarus; ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum.

In III. Noct. Homil. S. Hilarii Ep. in Ev. Vigilate *de eod. com m.*

Die 5. Junii.

In festo Translationis S. Bonifacii Martyris. *Duplex.*

Offic. de comm. un. Mart. Lect. 1. Noct. de scr. occ. In II. Noct. Lect. IV. Bonifacius etc. *Lect. V.* Mox in ollam etc. *ut in Brev. die 14. Maii, usque ad verba* Romam portandum curarunt. *Lect. VI. ut infra.*

Oratio.

Da quaesumus, omnipotens Deus, ut qui beati Bonifacii Martyris tui Translationem colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Lect. VI.

Quod factum est cum ab Angelo, Aglae matrona, quae et ipsa poenitens se piis operibus addixerat, cognovisset: prodiens obviam sancto corpori, Ecclesiam ejus nomini aedificavit; in qua corpus sepultum est nonis Junii, cum ejus anima pridie idus Maii apud Tarsum Ciliciae urbem migrasset in coelum, Diocletiano et Maximiano imperatoribus. Postremo Beneventum delatum, in celebri sanctae Sophiae templo reconditum fuit, ubi in praesens ejus reliquiae venerantur. Quo tamen tempore id factum fuerit, incompertum est. Translationis vero festum hac, qua accidit, die celebratur.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Si quis vult etc. *de eod. comm. 2. loco.*

Die 7. Junii.

In festo SS. Vincentii Episc. et Socior. Martyr. Duplex.

Offic. de comm. plurim. Mart.

Oratio.

Deus, qui sanctos Martyres tuos Vincentium Pontificem, et Socios

animi fortitudine, atque constantia donasti: concede propitius, ut eorum meritis et intercessione, nos quoque in tui nominis amore firmemur. Per Dom.

Lect. 1. Noc. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Vincentius Mevaniensium Pontifex, Diocletiano ac Maximiano principibus, cum christianam fidem palam profiteretur, eamque pro munere dilatare conaretur, Capitolini Etruriae Praefecti jussu cum fratre Benigno Diacono comprehenditur, ac Perusium perducitur. Cum ad diis immolandum adigeretur, divina virtute simulacra corruerunt. Quare plures, deorum cultu contempto, Christi fidem amplexati sunt quos inter e principibus viris quidam, qui magis odio in Christianos antea conflagraverant.

Lect. VI.

Inde iratus Praefectus, atque aegre ferens Vincentii socios, Benignum obtruncari primum jubet, cujus corpus ab Eustasio Christiano Kalendis Maii apud Portulum sepelitur: Vincentium vero in arctissimam custodiam tradit durioribus asservandum tormentis. Nam cum ad deorum cultores, studio licet maximo, pertrahi nequaquam posset, lapidibus contunditur, atque equuleo suspenditur. Flammis postea adustus, in carcerem iterum conjicitur. At foribus divina virtute reseratis, exasperatus inde Praefectus, in mare eum projici jubet; sed ab Angelo ereptus Mevaniam rediit.

Lect. VI.

Capitolino mox vita functo, qui ei est suffectus Porphyrius, Vincentium iterum capi imperat, atque feris objicit; sed ab iis nil laesus, in altissimam foveam praeceps datur. Verum divina ope tot injuriis ereptus, in suam se recepit aedem, ubi postridie mane, postquam sacra mysteria peregit, sanctissimam animam efflavit. Corpus a Luceria matrona inter Mevaniam, et Portulum conditum tradunt. Caput tamen Lucam postmodum delatum est una cum capite sancti Benigni, et simul in templo maximo ejus civitatis servantur sancti Vincentii vero sacras exuvias habemus in Beneventano Metropolitico templo, quae sub ara principe religiose coluntur.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Cum audieritis praelia etc. *de eod. comm. 1. loco.*

Die 15. Junii.

In festo S. Onuphrii Confess.

Duplex.

Offic. de comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi: ut praeclaris beati Onuphrii Confessoris tui meritis adjuvemur, cujus gloriosa solemnitate laetamur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Onuphrius Anacoreta in vasta solitudine sexaginta annos parce, ac duriter vitam peregit, magnisque virtutibus, ac meritis cumulatus sanctissime obiit. Erat aliquando prope Beneventanam civitatem insigne templum ejus nomini dicatum; sed ingentis vi terraemotus anno saeculi decimiseptimi octogesimo octavo dirutum plane est. Verum Archiepiscopi Cardinalis Ursini eximia pietate decentius iterum instructum habemus. Ejus festum summa

populi frequentia quotannis recolitur; ac nundinae octo dies fiunt. Atque in insigni S. Sophiae templo ejus reliquiae honorificentissime sitae venerantur.

Lect. V.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermo 1. de S. Victore.

Sancti Onuphrii vita et gloria specialis, non tam ad gloriam, quam ad virtutem provocat omnes, qui recto sunt corde. Non recti plane, sed perversi est animi ante quaerere gloriam, quam exercere virtutem; et velle coronari, qui legitime non certaverit. Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere, ita est: frustra ad celsitudinem nititur gloriae, qui prius non claruit virtute: frustra fatuae virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades extinguuntur: et ideo fatuae, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

Lect. VI.

Virtus gradus ad gloriam: virtus mater gloriae est. Fallax gloria, et vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Sancto Onuphrio nec virtus, nec gloria deest: sed quemadmodum ambae res, et quo ordine in homine processerunt, id operae pretium intueri. Habemus enim, dilectissimi, in vita Onuphrii et quod digna miremur, et quod salubriter imitemur. Tutius sane aemulanda solidiora, quam sublimiora, et quae magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Sint lumbi vestri etc. *ut in Brev.*

Die 17. Junii.

In festo Translationis S. Bartholomaei Apostoli ex India ad Liparam insulam. *Duplex.*

Offic. ut in Brev. die 25. Augusti, praet. ea, quae sequuntur.

In utrisq. Vesp. ad Magnificat.

Ant. O quam multiplicibus, Bartholomaee, fulges egregie miraculis, qui pro Jesu nomine tanta sustinuisti pericula: nos tuis semper tuere precibus, ut mereamur ad superam ovantes pervenire patriam.

In Orat. pro verbo Festivitate, *dic.* Translatione.

In I. Noct. Lect. de comm. Apost. Lect. IV. et V. ut supra

Lect VI.

Ejus corpus Albani, quae est urbs majoris Armeniae, ubi is passus fuerat, sepultum est. Quod postea ad Liparam insulam delatum, in Ecclesia ejus nomine Deo dicata collocatum fuit. Agitur autem Beneventi hujus translationis memoria quintodecimo Kalendas Julii, et Basilica tanti corporis thesauro in praesens decorata, magna populi frequentia celebratur.

Ad Benedictus Antiph.

Postquam apud Lycaoniam praedicavit beatus Bartholomaeus, ad Indos veniens, convertit eos ad Christum: et per martyrium penetravit coelos, ubi cum Deo perpetuo gloriosus exultat.

Die 22. Junii.

In festo S. Paulini.

Episc. et Conf. *Duplex.*

Offic. de comm. confess. Pont. praet. sequent.

Oratio.

Deus, qui beato Paulino Confessori tuo atque Pontifici summam in

proximum charitatem conferre dignatus es: ejus nobis intercessione concede, ut sanctissima charitate conjuncti, perennem in caelis gloriam pertransire mereamur. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de scr. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV. et V. ut in Brev. Rom. in ejus die festo.

Lect. VI.

Ejus sanctissimum pignus Longobardorum Pincipum pietate Beneventum translatum, maximo templo conditum fuit. Verum cum anno Christi millesimo, Otho tertius Imperator Beneventum venisset, et sancti Bartholomaei Apostoli corpus studio maximo expeteret, a civibus ultro, atque ex industria deceptus, sancti Paulini corpus tulit, quod quidem Romam delatum, honorificentissime in insula situm voluit, ubi etiam nunc veneratur. Et ita beatus Paulinus, qui vivens in Africa se pro filio cujusdam viduae captivum tradidit, mortuus quoque pro sancti Bartolomaei corpore suum Romanis exhibuit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lect. VII. *Cap.* 12.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentii Episcopi.

Ex serm. de Confess.

Si non omnes possunt implere quod Dominus ait: Vendite quae possidetis; illud tamen, quod adjecit, dicens: Date eleemosynam, omnibus est possibile, si adsit bona voluntas; omnibus facile, si non adsit dira cupiditas; omnibus salubre, si ferveat charitas; cunctis debet esse commune, ut omnibus donetur aeterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit a Domino, ut omnia, quae in mundo sunt, coelsti regni amore contemnat, quae habet, vendat, et egenis expendat: qui vero tantae virtutis nondum est, de his, quae habet, in quantum habet, eleemosynam faciat.

Lect. VIII.

Perfectus possideat primum virtutis locum, imperfectus saltem perveniat ad secundum. Efficiatur ille gloriose dignus; sit iste laudabiliter largus: sit ille sanctae paupertatis ardentissimus amator; sit iste sanctorum pauperum piissimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes: sit ille talis, qui cum Domino judicaturus sedeat; sit iste talis, qui ad dexteram judicandus assistat. Sit ille talis, qui aeterna tabernacula perpetuo jure possideat; sit iste talis, quem ille recipiat.

Lect. IX.

Thesaurum nostrum, fratres in coelis ponamus; ut etiam cor nostrum in coelis haberi possimus. Necesse est enim, ut quo praecesserit dilectionis thesaurus, illuc etiam cogitationis sequatur affectus. Ideo Veritas ait: Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Ut ergo in coelis thesaurizemus, coelestia diligamus. Vis nosse, ubi thesaurizas? Attende quid amas. Vis nosse quid amas? attende quid cogitas. Ista fiet, ut thesaurum tuum ex tuo amore cognosces, et amorem tuum judicio tuae cogitationis intelligas.

Die 27. *Jejunii.*

In festo S. Deodati Episc. et Conf. *Duplex.*

Offic. de comm. Conf. Pontif. praet. sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Deodatum Confessorem tuum atque Pontificem prophetiae spiritu et miraculorum gloria decorasti: concede propitius, ut cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Deodatus Nolanae Ecclesiae Presbyter, sancti Paulini exemplis atque doctrina edoctus, multis virtutibus, et signis praeluxit. Omnium clericorum consensu Nolanae ecclesiae aedituum curam suscepit, quo munere fungebatur, remque gerebat, ac si Coepiscopus esset. Ab impiis ad Valentinianum Principem defertur, quod res Nolanae ecclesiae dilapidaret et perderet. Propterea accersitur, increpatur, in carcerem conjicitur, atque in exilium agitur. Verum cum filiam Principis daemon invasisset, patriae restituitur, ut ejus sanctitate et precibus puella liberaretur. Quod quidem sanctus Confessor ex voto praestitit, et ingentem pecuniae vim inde oblatam, recusavit.

Lect. V.

Nolam reversus, cum post biennium sanctus Paulinus diem supremum obiisset, omnium consensione ipse in hac dignitate suffectus est. In quo sacro munere triginta annos summa cum laude se gessit. Nam charitate, animi demissione, benignitate, caeterisque virtutibus mire eluxit. Demum multis editis miraculis, anno quinti saeculi primo et sexagesimo diem ultimum sanctissime clausit, annum dum ageret octogesimum; et in sua Nolana Ecclesia ejus corpus Clerici condiderunt.

Lect. VI.

Porro anno saeculi noni nono et trigesimo, Gregorio quarto Romano Pontifice, Sicardi quinti Principis pietas sanctissimum pignus Beneventum detulit, et Ursus quadragesimus secundus Episcopus honorifice in templo condidit, quod jam dudum ejus honori a Tato, et Tasone excitatum, a Sanctimonialibus Benedictinis excolitur. Multis hic claruit miraculis, et frequentissimus populus ad ejus patrocinium implorandum confluebat. Et in primis Paschalis secundus Pontifex Maximus, dum Beneventi anno duodecimi saeculi octavo moram traxit, quotidie huc accedere, et preces enixas fundere solitus est. Hodie hoc templum, atque Asceterium Fratres Sancti Joannis de Deo obtinent. Quaedam ejusdem Sancti Lipsana sub ara maxima Metropolitici templi decentissime condita habentur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Ecce ego mitto vos etc., *quae incipit*: Audistis, fratres... *ut in festo S. Adjutoris die* 28. *Januarii.*

Die 29. *Junii.*

Commemoratione omnium SS. Apostolorum, et omnium SS. Martyrum faciendae die 29 Junii in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, juxta Constit. Pii Pp. VII. sub die 10. Apr. 1818.

In I. Vesp.

Pro omnibus SS. Apostolis. Ant.

In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per Dominum.

Pro omnibus Sanctis Martyribus Ant.

Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

Oratio.

Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae; ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum.

Ad Laudes.

Pro omnibus SS. Apostolis. Ant.

Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio Exaudi, *ut supra.*

Pro omnibus SS. Martyr. Ant.

Sancti tui, Domine, semper benedicant te, et gloria regni tui dicant.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis.

℟. In Sanctis ejus laudate Deum.

Oratio Deus qui glorificaris, *ut supra.*

In II. Vesp.

Pro omn. SS. Apostolis Antiph.

Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis, dicit Dominus.

℣. Gloriosus in Sanctis suis faciens mirabilia.

℟. Hic Deus meus, et glorificabo eum.

Oratio Exaudi nos. *ut supra.*

Pro omnibus SS. Martyr. Ant.

Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere.

℣ Justi autem in perpetuum vivent.

℟ Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio Deus, qui glorificaris, *ut supra.*

Die 10. Julii.

In festo SS. Septem Fratrum Martyr. *Duplex.*

Offic. de comm. plurim. Martyr.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV. et VI. ut in Brev. Rom. hac die.

Lect. V.

Horum corpora Alliphias primum delata, anno noni saeculi trigesimo nono, Gregorio quarto Summo Pontifice, ac Urso Beneventano Episcopo, a Sicardo quinto Beneventum asportantur, atque in templo maximo sub ara principe condita, summa populi frequentia venerantur. Sed sancti Silvani, qui quartus natu erat, corporis pars maxima in sancti Victorini-Benedictinarum templo, in chrystallina theca sita est, cui et argenteum ejusdem Martyris simulacrum appositum habemus.

In III. Noct. Homil. in Evang. ut in Brev. ea die.

℟. *VIII.* Haec est vera fraternitas.

Die 11. Julii.

In festo SS. Rufinae et Secundae.

Virg. et Mart. *Semidupl.*

Offic. de comm. Virginum.

In utrisque Vesp. et Laud. Ant. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam.

℟. Proximae ejus afferentur tibi.

Oratio.

Da nobis quaesumus Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum Rufinae et Secundae palmas incessabili devotione venerari; ut, quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

In 11. Noct. Lect. IV. ut in earum die festo 10. *Julii in Brev.*

Lect. V. et VI. Ex libro S. Cypriani Episc. et Mart. de disciplina ac habitu Virginum. Nunc nobis ad virgines etc. *in eod. comm.* 2. *loco.*

In III. Noct. Homil. in Evang: Simile est regnum caelorum decem virginibus etc., *ut in eodem. comm.*

Die 18. Julii.

In festo S. Emygdii

Episc. et Mart. *Duplex.*

Omnia de comm.un.Mart.praet.seq.

Ad Vesp. Hymnus.

Jesu corona Martyrum,
Qui post cruenta praelia,
Ad sempiterna praemia
Sanctum vocasti Emygdium.
Casti cruoris purpura,
Palmaque ovantem nobili,
Inter choros Coelestium
Reples beato lumine.
Nunc ejus ad victorias
Nos somnolentos excita,
Virtutis ad praeconia
Sopore mersos libera.
Ut invocatus reddidit
Membris salutem languidis,
Sic labe prorsus criminum
Arcana purget mentium.
Ut editis miraculis
Aras deorum diruit,
Sic damna praesens arceat
Quaecumque nobis imminent.
Ut voce quondam sustulit
Cultus nefandos daemonum,
Sic impetret precantibus
Æterna coeli gaudia.
Tu postulatis annue,
Rex magne Jesu Martyrum
Cum Patre, et almo Spiritu
Regnans per omne saeculum. Am.

℣. Meritis et precibus beati Emygdii.

℟. Propitius esto, Domine, Clero et Populo suo.

Ad Magnificat. Antiph.

O Emygdi Martyr gloriose, qui plurimos in Christo genuisti filios, et verae fidei lacte enutristi; ita quaesumus, oratio commendet nos indesinenter Deo.

Oratio.

Deus, qui B. Emygdium Martyrem tuum atque Pontificem idolorum victoria, et miraculorum gloria decorasti: concede propitius, ut eo interveniente, malorum spirituum fraudes vincere, et coruscare virtutibus mereamur. Per Dominum.

Ad Matutinum. Hymnus.

Audiat miras oriens, cadensque
Sol tuas laudes, celebresque palmas
Praesul Emygdi, columen, tuaeque
Gloria gentis.
O jubar coeli, radiis decorum;
O potens signis, meritisque felix;
Quem Deus gestis adhibere fecit
Grandibus olim.
Ethnico primum genitus parente
Illico nomen Superis dedisti,
Mox feras gentes numerosa reddis
Agmina Christo.
Imperas saxo, latitans repente

Lympha consurgit, fluitans salubri
Fonte baptismi, populosque lustras
Flumine sacro.
Pectoris duros silices repelle,
Saxeum cordis tumidi rigorem
Contere, ut sordes lacrymosa manans.
Abluat unda.
Non times saevi rabiem tyranni,
Sanguine effuso, generose Martyr,
Quin tibi abscissum caput usque ad aras
Mortuus effers.
Nunc triumphator super astra regnans,
Semitam nobis, aditumque monstra,
Supplices ductor genitos supernis
Sedibus infer.
Annuat coelo Pater, atque Natus
Annuat compar utriusque virtus
Spiritus votis, Deus unus omni
Temporis aevo. Amen.

In I. Noct. Lect.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Emygdius e nobili Francorum prosapia Treveris natus, anno aetatis vigesimotertio parentibus idolatris frustra obstantibus fidem Christi suscepit, et constantissime professus est. Cum tribus discipulis Euplo, Germano et Valentino vitam duxit, humanis spretis oblectamentis, rebus divinis plenius incumbebat. Erga proximum charitatis ardore aestuabat: idcirco ad procurandam multorum salutem Romam se contulit, hospitio exceptus in insula Tiberis, hospitis filiam per quinquennium jam immedicabili morbo languentem baptismo sanavit.

Lect. V.

Mox oculis caeci coram populo signo crucis apertis, a multitudine cum filium Apollinis credente, in templum Æsculapii rapitur. Ibi Christi servum se professus, ejus invocatione magnum numerum aegrotorum, ne quidquam idoli opem implorantium, valetudini restituit. Aras diruit, Æsculapii signum confractum in Tiberim projecit. Quibus rebus et mille tercentorum Gentilium, praeter Æsculapii Sacerdotes, conversione inde sequuta, indignati Postumii Titiani Praefecti Urbis minas, Angeli monitu declinans, Sanctum Marcellum Pontificem adiit, a quo Episcopus ordinatus, et Asculum missus est.

Lect. VI.

Multis in itinere miraculis ingenti multitudine Christo adjuncta, simul ac Asculum Emygdius pervenit, daemones e simulacris idolorum per cuncta Fana ejulatibus editis, peregrinam doloris sui causam indicarunt; quem cum concitata plebs ad caedem quaereret, excitatus tumultu Polymius Civitatis Praeses, eum ad se vocatum multis, sed irritis verbis ad Jovis, et Angariae Deae Asculi Patronae venerationem hortatur, promissis etiam in praemium nuptiis propriae filiae Polisiae, quam Emygdius ad Christum conversam baptizavit, et post eam mille et sexaginta homines, educta e saxo per ingens miraculum aquarum copia. His in rabiem actus Polymius, sancto Episcopo caput abscidit, quo facto, truncus ejus mirabiliter erectus, abjectum humo proprium caput tollens, manibus per spatium tercentorum passuum ad Oratorium portavit. Unde ad templum maximum translatum, ubi magna religione Asculani populi, concursu externorum hanc usque in diem colitur. Incidit ejus beata mors durante Diocletiani persecutione.

In III. Noct. Homil. in Evang.

Si quis venit ad me etc., *ut in comm. un. Mart.*

Ad Laudes Hymnus Jesu corona Martyrum, *ut supra ad Vesp.*

℣. Ora pro nobis, Sancte Pater Emygdi.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Benedictus. Ant.

O virum ineffabilem, per quem nobis antiqua prodigia Moysis coruscant: cujus nutibus e saxo aqua baptismatis Asculano populo emanavit; per quem evangelica lux effulsit; quem triumphans excepit Curia caelestis, illic pro nobis intercedere dignetur, ut suo mereamur gaudere consortio.

In II. Vesp. omn. ut in primis.

Die 21. Julii.

In festo S. Macrinae Virginis,

Sororis S. Basilii Magni. *Duplex.*

Omnia de comm. Virg. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

Deus veritatis amator, qui beatae Macrinae Virginis ad tui nominis gloriam vota suscipere dignatus es: fac nos radios verae lucis agnoscere, et ad perpetuos charitatis tuae amplexus feliciter pervenire. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Ex Epist. S. Gregorii Nysseni ad Olimpium Monachum.

Macrina Sanctorum Basilii et Eumeliae filia, Magnique Basilii, et Gregorii Nysseni soror, ab ineunte aetate religiosis vitae moribus a beatis parentibus diligenter instructa, pietatem egregie coluit. Hujus mater gravida somno correpta manu gestare sibi visa est id, quod adhuc intra viscera continebat, et quemdam humano specie et forma augustiorem intueri, qui Teclae celeberrimae martyris nomine filiolam appellavit. Id autem cum ter repetens testatum reliquisset, discessit. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata, ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexit. Is autem, qui per quietem apparuerat, eam vocem pronunciavit, non tam, ut quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis idem ostenderet vivendi studium et institutum. Duodecimum annum cum attigisset, a Basilio patre nobili cuidam et honestissimo adolescenti despondetur, quo vita (nuptiis nondum celebratis) abeunte, nunquam induci potuit, ut quae virginitatem servare in animum induxerat, alium duceret. A matris latere, quam summa observantia reverebatur, ne momento quidem temporis discedebat, eique ancillae instar ministrabat in omnibus.

Lect. V.

Patre mortuo, laborum Eumeliae matris, quibus illa premebatur, se sociam praebens, solicitudinemque partem subiens, eam gravi molestiarum onere levabat, cui post etiam suasit, ut relicta pristinae vitae consuetudine, elaxioreque vivendi modo; quas subditas et ancillas ad usus proprios adhibuerat, secum ejusdem conditionis atque ordinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum Virginibus traduceret. Basilium fratrem ante id tempus, a publicis litterarum gymnasiis, in quibus diu versatus fuerat, domum redeuntem ad perfectionis studium adeo incendit, ut mundi posthabita claritate, despectaque

eloquentiae gloria, laboriosum operosumque vivendi genus per paupertatem perfectam amplexatus, expeditam sibi ad virtutem viam extruxerit. Ipsa vero Beata Macrina vitam victu asperam, sed assiduis contemplationibus suavem ducens, humi cubabat, modico cibo contenta erat, delicias suas in temperantia collocaverat, gloriam suam in eo putarat sitam, quod nota esset nemini, divitias quod nihil possideret.

Lect. VI.

Novem circiter mensibus a Basilii fratris obitu, quem illa forti animo tulerat, in morbum incidit; quo tempore a Gregorio Nysseno fratre invisitur, qui tamdiu apud eam fuit, quamdiu animam Deo reddidit. Sub mortem vero, sponsi charitate vulnerata, ita Deum precari caepit: Tu Domine mortis metum nobis abstersisti: Tu effecisti, ut hujusce vitae finis vere nobis esset principium vitae: Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumque e somno suscitans extrema tuba: Tu mihi adhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii, ubi quietis est aqua, in sinu Sanctorum Patrum. Haec dicens oculos, os, et cor cruce signans, vitae finem laeta expectabat. Nocte demum adveniente, cum tota in agendis Deo gratiis esset, ad praemium abiit in coelum. Cujus corpus in eo sepulchro, in quo beatorum Parentum reliquiae quiescebant, conditum est.

IN III. Noct. Homil. in Evang.
Simile est regnum coelorum decem Virginibus, etc.

Die 24. Julii.

In festo S. Liborii

Episc. et Conf. *Semid.*

Omn. de comm. Conf. Pont. praet. ea, quae sequ.

Oratio.

Exaudi, quaesumus Domine, preces nostras, quas in beati Liborii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus; et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Liborius honestis parentibus in Gallia natus, et ab ineunte aetate caducarum rerum illecebras aversatus, egregiam indolem praeclaris moribus, et humanarum sacrarumque literarum studiis adeo diligenter excoluit, ut progressu temporis probitatis, ac sapientiae proficiens incrementis, maturitatem virilis ornaret aetatis. Clero adscriptus, ac officiis functus ecclesiasticis, amplius totum sese divino cultui mancipavit; studuitque cunctos actus, cogitationesque suas ita ad rationis normam dirigere, ut nihil appeteret poenitendum. Modestia itaque, abstinentia, castimonia, aliisque virtutibus conspicuus, Pavacio Cenomanensi Episcopo defuncto, unanimi civitatis consensu quartus ejusdem Sedis Antistes eligitur.

Lect. V.

Ea dignitatis accessione nihil interius imitatus, in concredita sibi Domini vinea excolenda totus fuit. Assidua praedicatione, vitae innocentis exemplo, et effusa in pauperes charitate praecipue insignis, populi mores reformavit: ac potens in opere et sermone multos inte-

gritati vitae, fideique restituit. Domus Dei decorem et cultum egregie promovit: aedificatis septemdecim ecclesiis, in quibus pro jugi divinorum officiorum celebratione, et affluentibus populis sacrorum dispensatione, diversi ordinis ministros instituit. Tandem quadraginta novem annis in Episcopatu sanctissime transactis, obdormivit in Domino decimo Kalendas Augusti. Eum in cilicio decumbentem, et ad caelestem patriam anhelantem Beatus Martinus Turonensis Episcopus ab Angelo monitus invisit; mortuumque in suburbana Ecclesia honorifice sepelivit, ubi multis postea miraculis coruscavit.

Lect. VI.

Verum post debellatam a Carolo Magno Saxoniam, et Christi jugo subactam, Baduradus secundus Paderbonae in Vestphalia Episcopus, cum adhuc rudem in fide populum, ad avitas Gentilium superstitiones sese convertentem animadvertisset; quo illum ab ejusmodi erroribus per novum Patronum ac intercessorem apud Deum revocaret, divino monitu ab Aldrico Cenomanensi Antistite Liborii corpus impetravit, et maxima cum celebritate suscepit anno salutis octingentesimo trigesimosexto. Sacrae Reliquiae cum transferrentur, omnes illas regiones mira signorum frequentia illustrarunt: quorum fama in dies percrebescente, magnum ubique Liborii nomen esse caepit. Sed ejus virtus contra nephriticos dolores praecipue clarescit, continuis testata beneficiis, ob quae peculiari fidelium pietate multis in regionibus celebratur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Vigilate, *ut in Comm. 2. loc.*

Die 27. Julii.

In festo S. Pantaleonis

Martyr. *Duplex.*

Offic. de comm. un Mart. praet. seq.

Ad Magnificat. Antiph.

Gloriosus Pantaleon coelestem Medicum toto dilexit corde, et moriens pro Christo, vivit in coelo coronatus.

Oratio.

Deus, qui beatum Pantaleonem martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare: concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuae sentiamus effectum. Per Dominum.

Lect. 1. Noct.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Pantaleon Nicomediensis, filius Eustorgii Gentilis, et Eubulae Christianae, medicam artem ab Euphrosino didicit. Cum autem Hermolaus presbyter ex modestia vultus, ex incessu et serenitate oculorum alte de illo judicasset, illum accersivit, et caepit in cor fluenta divinae fidei infundere. Crede mihi, dixit: Æsculapii, et Hippocratis medicamenta parva sunt, et parum prodesse possunt: quinimo ipsi Dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fabula. Unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si credideris, ejus sola invocatione omnes morbos fugabis. Quae verba servabat in corde, jugiter meditabatur, et suaviter allectus ad Hermolaum, ut ad Magistrum, hilaris quotidie ventitabat. Cum autem quadam die videret puerum mortuum, et prope eum viperam quasi ostendentem, quod illum morti dedisset, intra se dixit: Si vera sunt dicta Hermolai, invocato nomine

Christi, puer iste vivet, et bellua morietur; quod, ut cogitavit, accidit; et statim infusa luce securitatis omnis caligo discessit; et benedicens Deum, aestuansque desiderio sacri baptismi, ab Hermolao gaudens suscepit.

Lect. V.

Non multo post coeco visum restituit, et Patri Eustorgio tenebras impietatis solvit, qui idola calcans, verum Deum confessus, baptizatur. Mortuo Patre, egenis opem, et languentibus sanitatem largiebatur; quare ad Maximianum defertur, qui primum honore et blanditiis attrahere studet; deinde minatur mortem et dira supplicia, si diis non offerat sacrificium; sed cum omnia invicto animo respueret, in ligno suspenditur, ferreis laniatur ungulis, et lampades ignis lateribus ejus admoventur. At illo orante, apparuit Christus dulcibus verbis illum recreans, illico laxatae sunt manus lictorum, extinctae lampades; et plumbum liquatum, in quod postmodum Tyranno jubente injectum fuit, in naturalem mutatur frigiditatem. Sed quod non tentat ingeniosa crudelitas? Mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti: sed lapis non secus ac folium leve supernatat, et Pantaleon firmiter super undas graditur. Non cessit tantis prodigiis Tyranni obcoecata mens, sed feris insanior jubet ad feras produci. Crudele spectaculum! sed spectabile coelo, confluit tota civitas, congrediuntur cum Athleta ferae, at illae tanquam ratione utentes, et indutae humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad Martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua lambentes, veluti contendebant quaenam prima ad eum accederet, et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

Lect. VI.

Quo vivo clamabant multi: Dimittatur justus, magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus, et verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lumini cedens, imperat Pantaleonem in locum editum ferri, et rotae alligatum in praeceps per declive dimitti: at rota ultrice, et plures eorum opprimente cultores, illaesus evasit; quare gladio occidi jussit. Accessit lictor, olea plantae illum alligat, sed cum exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies cerae similis; quo miraculo stupefacti lictores, ad pedes Martyris provoluti, veniam precantur, Christum aperte confitentes. Sed tandem ne periret gloria martyrii, caput abscinditur, et statim lac pro sanguine fluxit; et planta olea, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fideles convenissent, sacrum corpus in Suburbano cujusdam Scholastici reverenter reponunt, et quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit; inter quae praeclarum illud quod sacer ejus cruor, qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano, et Romae, a primis vesperis festi, usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus antea existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidum moveri, cunctis cernentibus, quotannis conspicitur; quod etiam accidit in portione sanguinis, qui in Monasterio Regali Incarnationis Monialium S. Augustini Matriti inter praetiosiora piguora asservatur.

In III. Noct. Homil. in Evangel. Nihil est opertum, *ut in festo S. Policarpi Ep. et Mart. in die 26. Jan.*

AD LAUDES.

Et per Horas.

Antiph. In tormentis apparuit Christus, Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Psal. Dominus regnavit, *cum rel. de Domin.*

Antiph. Ego enim, ait Christus in habitu Hermolai, tecum sum in omnibus, quae propter me pateris.

Antiph. Cum pro lictoribus exoraret, audivit de coelo: Ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, idest misericors quia multi per te misericordiam consequentur.

Antiph. Lacte et cruore Martyris collum fluit, pro quo cruorem et aquam Christus fuderat.

Antiph. Pantaleon varie cruciatus jugiter canebat: Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.

Ad Benedictus Antiph.

Dixit Maximianus Pantaleoni: Quaenam est ars praestigiarum, quae tibi extinxit lampades, et satellitibus vires abstulit? ad quae respondit: Meae praestigiae Christus est.

In II. Vesp. Ant. sum. ex Laud. Antiph. ad Magnificat, *ut sequitur,*

Recordatus fuit misericordiae Domini, et in conspectu astantium factus est illi adjutor.

Die 29. Julii.

In festo S. Lupi

Episcop. et Confess. *Duplex.*

Offic. de comm. Conf. Pont. praet. sequ.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Lupo Confessori tuo atque Pontifici contra haereses Christianae Religionis veritatem, et Trecenses ab impiorum armis tueri tribuisti: concede nobis famulis tuis, ut ejus meritis et intercessione in Christi fide permanere, et a mundi illecebris liberari valeamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Lupum Trecentium in Gallia Pontificem cum beato Germano Antisiodorensi in Brittanniam ad Pelagianorum haeresim refellendam aliquando fuisse profectum, veterum monumenta declarant. Illud vero sanctissimi Viri memoratu dignum est, quod gregem sibi creditum non solum verbo et morum innocentia paverit, sed etiam enixissimis ad Deum precibus ab Attilae Hunnorum Regis furore servaverit, qui per eam tempestatem omnem pene Galliam igne ferroque vastaverat. Ferocissimo quippe Principi, qui a Catalaunensi praelio jactabundus properabat, et incendia ubique, caedes, ac rapinas minabatur, occurrit; ejus iram fregit, et ad pietatem flexit. Nam cum ille copiarum ductor, quem percunctatus erat Lupus, quid hominis esset, qui provincias, urbes, ac res universas diriperet, responderit, se esse flagellum Dei; fertur eumdem Virum sanctissimum (quae erat ejus animi demissio!) se quidem dixisse esse Lupum, Christi gregis perditorem ac mactatorem, et propterea flagello dignum: ultro eum invitasse, Ecclesiamque suam illius arbitrio permisisse. Et hac profecto modestia, blandisque sermonibus teterrimum hostem, omnium rerum incendia minitantem, flexisse legimus.

Lect. V.

Porro Lupus munus sibi commissum ad senectutem usque bene san-

cteque peregit, et secundo ac quadragesimo sui pontificatus anno diem suum supremum obiit. Ejus corpus aliquando Beneventum translatum, in Benedictinorum Abbatiali templo ejus nomine insignito conditum fuit. Caput in Metropolitica aede situm est, et in marmorea arca positum, quam Cardinalis Ursinus Archiepiscopus, pro suo veteri in Sanctorum exuvias studio, sane elegantem faciendam curavit. Erat aliquando extra Beneventanam civitatem prope locum, qui dicitur Serretella, alia aedes in S. Lupi honorem, quae temporis, et vetustatis injuria, diruta plane est. Cujus quidem rei nulla superesset memoria, nisi sancti Lupi nomen adhuc vicinia retineret.

Lect. VI. Sermo. S. Maximi Episcopi *et Homil.* 59, *quae est* 2. *de S. Eusebio:* Beati Patris etc. *ut in comm. C. P. in Brev.* 2. *loco.*

IN III. NOCTURNO

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. *Cap.* 10.

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papae.

Homil. 14. *in Evang.*

Audistis, fratres charissimi, ex lectione evangelica eruditionem vestram: audistis et periculum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque ejusdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adjungit, dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit: ostendit quod jussit. Bonus pastor pro ovibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves, quas redemerat, carnis suae alimento satiaret.

Lect. VIII.

Ostensa nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur: apposita est forma, cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere. Postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. A primo autem hoc minimo pervenitur ad postremum majus. Sed cum incomparabiliter longe sit melior anima, qua vivimus, quam terrena substantia, quam exterius possidemus; qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?

Lect. IX.

Et sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt: de quibus protinus subditur: Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves dominicas pascit, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit: terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur.

Die 30. *Julii.*

In festo S. Hermolai

Presb. et Mart. *Duplex.*

Offic. de comm. un. mart. pract. propr.

Oratio.

Deus tuorum gloria sacerdotum: praesta quaesumus, ut beati Hermolai martyris tui precibus adjuvemur, cujus doctrina et studio sanctus Pantaleon ad severioris vitae rationem est revocatus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Hermolai presbyteri et martyris, cujus ope atque doctrina sanctum Pantaleonem ad meliorem vitae rationem reductum ferunt, sexto Kalendas Quintiles in Romano Martyrologio memoria renovatur. Sed Beneventani cives hanc diem sacrarum ejus exuviarum translationi, per quam in ara maxima sitae sunt, jam pridem habuerunt dicatam. Anno autem tertio saeculi decimi sexti, cum alia ejusdem sancti Lipsana Maximilianus Archiepiscopus de Palumbaria in ara parochialis ecclesiae sancti Petri de Traseris condiderit, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, die sexta Februarii, diruta jam Ecclesia, reperta sunt; et Archiepiscopi Cardinalis Ursini auctoritate atque munificentia; pro ejus in Sanctorum cineres pietate, in theca argentea honorificentissime sita sunt.

Lect. V.

Sermo S. Ambrosii Episcopi

Serm. 93. in Nativ. SS. Nazarii etc. post medium.

Tantus Christi testis pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, et tincta veste candidior, licet peculiaris putetur privilegio sepulcri, sed omnium est communione suffragii. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique martyrem, ubique te exaudit ille, qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo, qui pensat vota tua, et dispensat munera sua, in tantum vicina praesentia efficacis praebebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti. Oratio enim, quae castitatis, justitiae, eleemosynarum operibus adjuvantur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summae majestatis, Angelo conferente, conspectum.

Lect. VI.

Quae cum ita sint, honoremus beatos Martyres, principes fidei, intercessores mundi, praecones regni, cohaeredes Dei. Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Et iterum: Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus. Honorare debemus servos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, et unum ex his non conteretur.

In III. Noct. Homil. in Evang. Si quis vult, *ut in comm.*

Die 31. Julii.

In festo S. Ignatii Loyolæ

Confess. *Duplex.*

Omnia ut in Brev. prael. seq.

Oratio.

Deus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

In I. Noct. Lect. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Ignatius natione Hispanus, nobili genere Loyolae in Cantabria natus, primo Catholici Regis aulam, deinde militiam secutus est. In propugnatione Pampelonensi accepto vulnere graviter decumbens, ex fortuita piorum librorum lectione, ad Christi, Sanctorumque sectanda vestigia mirabiliter exarsit. Ad montem Serratum profectus, ante aram Beatae Virginis suspensis armis, nocte excubans, sacrae militiae tyrocinium posuit. Inde, ut erat indutus sacco, traditis antea mendico pretiosis vestibus, Manresam secessit, ubi e mendicato pane et aqua victitans, exceptisque diebus dominicis jejunans, aspera catena, ciliciоque carnem domans, humi cubans, et ferreis se flagellis cruentans, per annum commoratus est: claris adeo illustrationibus a Deo recreatus, ut postea dicere solitus: Si sacrae litterae non extarent, se tamen pro fide mori paratum ex iis solum, quae sibi Manresae patefecerat Dominus. Quo tempore, homo litterarum plane rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum librum Sedis Apostolicae judicio, et omnium utilitate comprobatum.

Lect. V.

Ut vero se ad animarum lucra rite formaret, subsidium litterarum a grammatica inter pueros exorsus, adhibere statuit. Cumque nihil interim omitteret de studio alienae salutis, mirum est quas ubique locorum aerumnas ac ludibria devoraverit, asperrima quaeque, et vincula, et verbera pene ad mortem usque perpessus: quibus tamen longe plura pro Domini sui gloria semper expetebat. Lutetiae Parisiorum adjunctis sibi ex illa Academia variarum nationum sociis novem, qui omnes artium magisteriis, et theologiae gradibus insignes erant, ibidem in monte Martyrum prima Ordinis fundamenta jecit: quem postea Romae instituens, ad tria consueta, quarto addito de Missionibus voto, Sedi Apostolicae arctius adstrinxit, et Paulus tertius primo recepit, confirmavitque; mox alii Pontifices, ac Tridentina Synodus probavere. Ipse autem misso ad praedicandum Indis evangelium Sancto Francisco Xaverio, aliisque in alias mundi plagas ad religionem propagandam disseminatis, ethnicae superstitioni, haeresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, et jam Pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis haereticis, Ignatium, et institutam ab eo Societatem objecisse.

Lect. VI.

Sed in primis inter Catholicos instaurare pietatem curae fuit. Templorum nitor, Catechismi traditio, Concionum, ac sacramentorum frequentia ab ipso incrementum accepere. Ipse apertis ubique locorum ad juventutem erudiendam in litteris ac pietate gymnasiis, erectis Romae Germanorum collegio, male nuptarum et periclitantium puellarum coenobiis, utriusque sexus tam orphanorum, quam cathecumenorum domibus, aliisque pietatis operibus, indefessus lucrandis Deo animis instabat; auditus aliquando dicere, si optio daretur, malle se beatitudinis incertum vivere, et interim Deo inservire, et proximorum saluti, quam certum ejusdem gloriae statim mori. In daemones mirum exercuit imperium. Vultum ejus coele-

sti luce radiantem sanctus Philippus Nerius, aliique conspexere. Denique, aetatis anno sexagesimo quinto, ad Domini sui amplexum, cujus majorem gloriam in ore semper habuerat, semper in omnibus quaesierat, emigravit. Quem Gregorius decimus quintus, magnis in Ecclesiam meritis et miraculis illustrem, Sanctorum fastis adscripsit.

In III. Noct. Homil. in Evang. Designavit Dominus etc. *de comm. Evangelist.*

Die 2. Augusti.

In festo S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, hujusce Dioecesis Episcopus.

Dupl. 2. class.

Offic. de comm. Conf. Pont. praeter ea, quae hic habentur propria.

In utrisque Vesp. et Matut.

Hymnus.

Praeclara norma Praesulum,
Splendor, decusque patriae,
Alphonse, votis supplicum
Aures amicas applica.
Opes, forique gloriam,
Clarasque spernis nuptias,
Ut te superno Numini,
Sponsaeque Christi mancipes.
Duris flagellis percutis
Polluta membra crimine
Nullo; jubesque perpeti
Famem, et labores asperos.
Ubique pagos pervolas,
Et patris instar recreas
Sermone dulci rusticos,
Viam salutis edocens.
Scribisque libros plurimos,
Afflante Sancto Numine,
Legentium qui pectora
Ad Christi amorem concitant.
Tuisque alumnis praecipis
Vitae ut supernae porrigant
Panem, Parentis optimi
Sequantur et vestigia.
Ætena Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

Oratio.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum etc.

Lect. I. Noct. Fidelis sermo *de comm. C. P.*

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Alphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent S. Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens, nobiles ephebos ad christianam modestiam verbo et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra mysteria frequenter obire, in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus, utriusque Juris lauream in patria Universitate fuerit assecutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo, etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae

institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a Patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad aram Virginis de Mercede ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus, tanto zelo irruit in vitia, ut apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversionem perageret. Pauperum praesertim, et ruricolarum miseratus, Congregationem Presbyterorum instituit SS. Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

Lect. V.

Ne autem a proposito unquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione et pietate refertis, animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius de illius laudibus librum edidit; ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis imagine in eum emisso miro splendore, totus facie coruscare, et in ecstasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis, et sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propugnavit. Dum vero ad ejus aram oraret, vel sacrum faceret, quod nunquam omisit, prae amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla unquam lethali labe foedavit, pari cum poenitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter haec prophetiae, scrutationis cordium, et miraculorum donis inclaruit.

Lect. VI.

Ab ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis decimi tertii Pontificis auctoritate coactus, S. Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum duntaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat; ac urgente annonae caritate, ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suasque Congregationis Monialium monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso, ad alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum, quamvis senio, laboribusque, diuturna arthridite, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior, de coelestibus rebus disserendi, aut scribendi finem nunquam adhibuit; donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millesimo septigentesimo octogesimo septimo Nuceriae Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymis placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, Pius septimus Pontifex Maximus anno millesimo octigentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit. Novisque fulgentem signis Gregorius

Papa XVI. in festo SS. Trinitatis anno millesimo octigentesimo trigesimo nono solemni ritu Sanctorum catalogo adcensuit.

Lect. III. Noct. de comm. Evangel. Designavit Dominus etc.

Ad Laudes Hymnus.

Deiparae dum praedicas
Laudes, corusco lumine
Fulgens in altum tolleris
Amoris actus impetu.
Deus peregit optimus
Portenta per te maxima:
Te in orbe clarum reddidit,
Notumque cunctis gentibus.
Arcana nosti cordium;
Futura praescis; imperas
Morbis; simulque cerneris
Locis adesse pluribus.
Nunc coeli in altis sedibus
Summo bearis Numine,
Et tot laborum praemia
Ævum per omne percipis.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

In festo S. Donati.

Episc. et Martyr. *Duplex.*

Offic. de comm. un Mart. prael. seq. Oratio ut in Brev. Rom. die 7. huj. Lect. 1. Noct. de scr. occ. Lect. IV. ut in Brev. ead. die 7. Aug.

Lect. V.

Sacrum sancti Martyris corpus Beneventum translatum, in parochiali templo, quod nunc sancti Donati dicitur, olim vero Sanctae Mariae de Samnitibus, sub ara maxima situm fuit. Porro idem templum cum terraemotibus in eo admodum esset, ut labescens videretur, Archiepiscopi Cardinalis Ursini; ac populi collato aere, restitutum est, ac decentius ornatum; et anno millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, quarto Nonas Martias summa Beneventanorum frequentia dedicatum, sacrisque initiatum fuit. In sanctum autem Martyrem civium observantia jampridem a pluribus saeculis fuit spectatissima, eo usque, ut velut inter Patronos cooptatum habuerint; ejusque festum pene feriatum quotannis recolendum curarint.

Lect. VI.

Sermo S. Maximi Episcopi de S. Cypriano Hom. 2.

In martyrio beatissimi Donati, fratres charissimi, universa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudium et coelestis eruditione sermonis instruxit, et munere triumphalis sanguinis decoravit. Fuit enim in eo, sicut compertum habemus, et contra errores diaboli spiritalis sapientiae plenitudo, et adversum persecutiones mundi christiani pectoris infatigata constantia. Quis non hujusmodi virum, quantis valet praecordiis prosequatur, cujus eloquentia inspirata divinitus et Ecclesias docuit, et saeculum confutavit?

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum.

Lect. IV. Cap. 13

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Videte, vigilate, et orate: nescitis enim quando tempus sit. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Serm. 24.

Semper, et ad omnia vigilias esse salutares, nullus ignorat, quia revera plus vigilare, plus vivere est: nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, ut corpus reparet, non resolvat; et vires re-

vocet, non enervet. Semper ergo ad omnia vigilias esse salutares, nullus ignorat. Quae ars, quod opus, quod tempus, quae potestas, quod officium non vitae lucra lucubratione perquirit?

Lect. VIII.

Hinc est quod Rex in procinctu pervigil, callidi hostis praecavet, et evitat insidias: tunc in castris miles supervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, et calles transit invios, et vestigio furtivo ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem. Hinc pastor adjungit noctes diebus, et totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem praebeatur occasio.

Lect. IX.

Sic viator solers per auras noctis aestus solis praevenit, actumque diem praevidentius deputat mansioni. Hoc Propheta sciens, non die solo, sed et nocte tota clamabat ad Dominum: Domine Deus salutis meae, in die clamavi, et nocte coram te. Quid plura? Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei; ut ante nos oratione liberet, quam redimat passione: et si pro servis Dominus vigilat, merito pro seipsis servos vigilare sic jubet.

Die 13. *Augusti.*

In festo S. Cassiani

Episc. et Conf. *Duplex.*

Offic. de comm. Conf. Pont. praet. seq.

Oratio.

Deus qui beatum Cassianum Confessorem tuum atque Pontificem Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede propitius, ut cujus solemnitate laetamur, virtutum quoque imitemur exempla, et ejus gloriae efficiamur consortes. Per Dom.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Cassianus Beneventanus civis, Sancto Apollonio Beneventano Pontifici sufficitur. Multos annos creditum gregem sedulo, ac sanctissime pavit. Labores plurimos, atque aerumnas pro Christi nomine forti animo pertulit. Orationi vacitabat: pauperum curam suscepit. Senio confectus, ac de Beneventana ecclesia optime meritus, anno saeculi quarti sexto et quadragesimo diem clausit extremum.

Lect. V.

Miraculis claruit, et Sanctum Januarium secundum successorem habuit. Sed illud quidem minime praetereundum est, omnes ante aedem transeuntes, ubi olim sacrae ejus exuviae servabantur, equis desilire fuisse coactos, quod ultra progredi nequirent. Nunc vero aedem sanctissima pignora cum aliis Sactorum reliquiis in templo Metropolitico sita venerantur.

Lect. VI.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Ex Homil. 59. *quae est* 2. *de S. Euseb.*

Beati Patris Cassiani merita jam in tuto posita securi magnificemus: qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram spei tranquilla jam in statione composuit, et plenam caelestibus divitiis, et aeternis mercibus navem optato in littore collocavit: qui contra omnes adversarios scutum timoris Dei tamdiu infaticabiliter tenuit, donec ad victoriam perveniret. Quid enim fuit totae vitae illius cursus, nisi unius cum vigili hoste conflictus?

In III. Noct. Hom. in Evang. Homo peregre proficiscens etc., *ut in Brev.*

Die 18. Augusti.

In festo S. Rochi Confes.

Duplex.

Omn. de comm. Conf. non P. praet. seq.

Oratio.

Populum tuum, quaesumus Domine, continua pietate custodi; et beati Rochi suffragantibus meritis, ab omni fac animae et corporis contagione securum. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Rochus in monte Pessulano natus, quanta in proximum charitate flagraret, tum maxime ostendit, cum eum saevissima peste longe lateque per Italiam grassantem, patria relicta Italicam peregrinationem suscepit; urbesque, et oppida peragrans seipsum in aegrotantium obsequium impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. Quod beati Viri studium, quam gratum Deo fuerit, miris sanationibus declaratum est. Complures enim pestilentia infectos e mortis periculo signo crucis eripuit, et integrae sanitati restituit. In patriam reversus, virtutibus et meritis dives, sanctissime obiit; ejusque obitum statim subsecuta est veneratio fidelium, quae in Constansiensi deinde Concilio magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsandam ingruentem luem Rochi imago solemni pompa, omni comitante populo per eandem civitatem, Episcopis approbantibus, est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagatus est in universo terrarum orbe, qui eundem sibi apud Deum adversus contagiosam luem Patronum religioso studio adoptavit. Quibus accurate perpensis Urbanus octavus Pontifex Maximus, ut ejus dies festus in iis locis, in quibus forent Ecclesiae S. Rochi nomine Deo dicatae, Officio ecclesiastico celebraretur, indulsit.

Lect. V.

De expositione S. Augustini Episcopi in Epistolam beati Joannis.

Tract. 5. in cap. 3.

Perfecta ista charitas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit, mortuus pro omnibus: orans pro eis, a quibus crucifigebatur, et dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed si solus hoc fecit, non erat magister, si discipulos non habebat. Si quis tantum habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori; perfecta est in illo charitas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur: cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur. Cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi, et esse cum Christo: multo magis optimum, manere in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

Lect. VI.

Haec est perfectio charitatis: et major omnino non potest inveniri. Sed quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet in quo perfecta non est, si jam nata est, quae perficiatur, et utique si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quaesivimus inchoationem charitatis unde incipiat, et ibi continuo invenimus. Si quis habet facultatem mundi, et

viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum, quomodo dilectio Patris manet in eo? Ergo hic incipit ista charitas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti in angustiis aliquibus constituto, ex eo quod sibi abundant secundum tempus a tribulatione temporali liberet fratrem. Hunc exordium est charitatis. Hanc ita caeptam, si verbo Dei, et spe futurae vitae nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis.

In III. Nocturno homil. de Evangelio Homo quidam nobilis, *ut in festo S. Ludovici Reg.* 25, *vel* 26. *Augusti in Breviario.*

Die 19. *Augusti.*

In festo S. Ludovici Episcopi Tolosani. *Duplex.* 2. *Class.*

Omnia de comm. C. P. praet. seq. Oratio.

Deus, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum atque Pontificem caeleste regnum terreno praeponere docuisti; ac puritate illibata, et eximia in pauperes charitate mirabiliter decorasti; concede. ut ejusdem virtutes aemulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

Lect 1. *Noct.* Fidelis sermo.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Ludovicus Nuceriae Paganorum nobilissimo genere natus, patrem habuit Carolum secundum Siciliae Regem, Matrem vero Mariam Hungariae Regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, posthabitis aetatis illius oblectamentis, divino se totum cultui mancipavit. Decimum quartum agens annum una cum duobus fratribus pro Genitoris libertate in bello navali a Rege Aragoniae capti obses ductus in Catalauniam, Barcinone apud Minores S. Francisci fere septennio est commoratus; sub eorumque disciplina in scientiarum studiis, ac sacrarum litterarum comparanda eruditione eo progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quam humanitus acquisitas. Verum majori conatu coelestis magistri doctrina spiritum instruere anhelans, ciliciis, jejuniis, ferreis flagellis carnem afflixit. Assidua interim evangelicae veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, Regalis solii fastum calcare deliberavit, ac de Serafico amplectendo Instituto, raro humilitatis exemplo, votum emisit.

Lect. V.

Ecclesiasticae militiae adscriptus, et ad sacros ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri primogeniturae renunciavit, et regno: cumque votum, quod Barcinone voverat, in Monte Pessulano frusta adimplere satageret, illius Coenobii Fratribus timore Regis patris eum recipere non audentibus, solemniter renovavit. Mox ad Ecclesiam Tolosanam a Bonifacio octavo, quamvis invitus, assumptus, Romamque accersitus, et ab eodem honorifice exceptus, electioni de se facta nullatenus se assensurum declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare annuente Pontifice, habitu Ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, rite suscepto, in manibus Generalis Ministri professionem emisit; hisque peractis, Apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopus Tolosanus passus est consecrari.

Lect. IV.

Tolosam ad illius Ecclesiae regimen profectus, spiritualis animarum lucro totus incubuit, utque Ministerium Apostolicum integre ac diligenter impleret, salutaribus monitis, illibataeque vitae exemplo peccatores ad poenitentiam revocavit, pluresque Judaeos, atque Gentiles assidua verbi Dei praedicatione ad orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubique in commissa sibi Dioecesi promovit, ac restauravit. Liberalis in pauperes, vigintiquinque ex eis quotidie domi aluit. Puritatem usque ad obitum a pueritia nitidissime custodivit. Humilitatis tandem, charitatis, atque omnium virtutum ornamento decorus, in juvenili aetate Brinolae Provinciae Arce ardenti febre correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit. Magnis deinde in Ecclesia meritis clarum, et miraculis illustrem, inter quae plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati enumerantur, Joannes vigesimus secundus in Sanctorum numerum retulit.

In III. Noct. Homil. S. Hilarii Episc. in Evang. Vigilate, *de com. Conf. Pont. 2. loco.*

Die 20. Augusti.

In festo S. Bernardi Abbatis, Conf. et Eccl. Doctoris.

Duplex.

Offic. de comm. C. non P. praet. seq.

Oratio.

Deus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Bernardum ministrum tribuisti: praesta quaesumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Bernardus, Fontanis in Burgundia honesto loco natus, adolescens propter egregiam formam vehementer sollicitatus a mulieribus, nunquam de sententia colendae castitatis dimoveri potuit. Quas diaboli tentationes ut effugeret, duos et viginti annos natus monasterium Cisterciense, unde hic Ordo incoepit, et quod tunc in sanctitate florebat, ingredi constituit. Quo Bernardi consilio cognito, fratres summopere conati sunt eum a proposito deterrere, in quo ipse eloquentior fuit, atque felicior. Nam sic eos, aliosque multos in suam perduxit sententiam, ut cum eo triginta juvenes eamdem religionem susceperint. Monachus jejunio ita deditus erat, ut quoties sumendus esset cibus, toties tormentum subire videretur. In vigiliis etiam et orationibus mirifice se exercebat: et christianam paupertatem colens, quasi coelestem vitam agebat in terris, ab omni caducarum rerum cura et cupiditate alienam.

Lect. V.

Elucebat in eo humilitas, misericordia, benignitas: contemplationi autem sic addictus erat, ut vix sensibus, nisi ad officia pietatis uteretur; in quibus tamen prudentiae laude excellebat. Quo in studio occupatus, Genuensem, ac Mediolanensem, aliosque episcopatus oblatos recusavit, professus se tanti officii munere indignum esse. Abbas factus Claravallensis, multis in locis aedificavit monasteria, in quibus praeclara Bernardi institutio ac disciplina diu viguit. Romae Sanctorum Vincentii et Anastasii monasterio ab Innocentio secundo Papa restituto praefecit Abbatem illum, qui postea Eugenius Tertius summus

Pontifex fuit, ad quem etiam librum misit de Consideratione.

Lect. VI.

Multa praeterea scripsit, in quibus apparet eum doctrina potius divinitus tradita, quam labore comparata, instructum fuisse. In summa virtutum laude exoratus a maximis Principibus de eorum componendi controversiis, et de ecclesiasticis rebus constituendis, saepius in Italiam venit. Innocentium item secundum Pontificem maximum in confutando schismate Petri Leonis, tum apud Imperatorem, et Henricum Angliae regem, tum in concilio Pisis coacto, egregie adjuvit. Denique tres et sexaginta annos natus obdormivit in Domino, ac miraculis illustris ab Alexandro Tertio Papa inter Sanctos relatus est. Pius vero Octavus Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit: nec non Missam et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

Lect. III. Noct. de comm. Doctorum Vos estis sol terrae.

Missa In medio, *et Epist.* Justus *de comm. Doct. 2. loco.*

Die 21. Augusti.

In festo S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal. Vid.

Duplex.

Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter ea que sequuntur.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti; quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis et precibus concede, ut qui infirmitatis nostrae conscii de tua virtute confidimus, coelestis gratiae auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dom.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Joanna Francisca Fremiot a Chantal Divione in Burgundia, clarissimis orta natalibus, ab ineunte aetate eximiae sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem nobilem quemdam Calvinistam solida supra aetatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in haec verba: En quomodo haeretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata, Deiparae Virginis tutelae se commendavit, et famulam quae ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, a saeculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni ac pietati impense studebat. Baroni de Chantal nuptui a patre tradita, virtutibus omnibus excolendis, operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata; quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

Lect. V.

Viro in venatione interempto, perfectioris vitae consilium iniens,

continentiae voto se obstrinxit. Viri necem non solum aequo animo tulit, sed in publicum indultae veniae testimonium, occisoris filium e sacro Fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Nunquam adduci potuit ut alteras nuptias, quamvis utiles et honorificas iniret. Ne autem a proposito castimoniae observandae in posterum dimoveretur, illius voto innovato, Sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardentius in dies charitate fervescens, pauperes, derelictos, aegros, teterrimisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat; verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus foetido pute ulceribus labia admovere non exorrebat.

Lect. VI.

A sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parentem, socerum, filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem sua e domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et Sacri Instituti Visitationis S. Mariae fundamenta jecit. Ejus Instituti leges integerrime custodivit; et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianae vero animi demissionis, et obedientiae, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se praebuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens, arduissimo efficiendi semper id quod perfectius esse intelligeret voto se obstrinxit. Denique Sacro Visitationis Instituto ejus potissimum opera longe lateque diffuso, verbo, exemplo, et scriptis etiam divina sapientia refertis, ad pietatem et charitatem Sororibus excitatis, meritis referta, et Sacramentis rite susceptis, Molini anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decimatertia Decembris migravit ad Dominum; ejusque animam, occurrente S. Francisco Salesio, in coelos deferri S. Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annecium translatum fuit; eamque miraculis ante, et post obitum claram, Benedictus Decimus quartus Beatorum, Clemens Decimus tertius albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem die duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens Decimus quartus Pontifex Maximus celebrari praecepit.

In III. Noct. Homilia in Evangelio Simile est regnum coelorum thesauro *de comm. nec Virg. nec Mart.*

Die 24. Augusti.

In festo BB. Antonii Primaldi,

et Soc. MM. Hydruntinorum.

Semiduplex.

Omn. de comm. plur. Mm. praet. ea quae seq.

Oratio.

Praesta quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Antonius Primaldus, et octigenti circiter socii martyres Hydruntini,

Christi fidem postremis hisce saeculis suo sanguine illustrarunt, et insignis fortitudinis exemplo primaevam Ecclesiae gloriam revocarunt. Anno siquidem reparatae salutis millesimo quadrigentesimo octogesimo, cum Achomates classis Mahumeti Secundi Praefectus in perniciem tenderet Italiae, Hydruntum devectus, urbem penitus imparatam facili negotio subigere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctae Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est; sed jam disjectis maenibus, tandem barbarorum numerus praevaluit; qui vi urbe potiti, cuncta caedibus compleverunt. Sic per diuturnos labores, multasque tribulationes servos suos Dominus ad coronam disponebat.

Lect. V.

Hydruntinorum constantia, suorumque ingenti clade non leviter commotus Achomates crudelis homo, et Christiano nomini infensissimus, inter eos, quos servituti addixerat viros omnes secerni jubet decimoquinto anno majores, qui octigenti circiter inventi sunt. Nudi, manibusque post terga colligatis ex urbe ad clivum Minervae (postea Martyrum dictum) coram barbaro duce deducuntur, electo huic populo fides Christi ejuranda proponitur: libertas, patriae salus, dum pareant, promittitur; mors vero, si renuant, indicitur. At exemplo vere singulari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus, vel mortis timore perculsus, a fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio, viro religione spectabili confirmati, invocantes dulcia Jesu et Mariae nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assequuti sunt.

Lect. VI.

Martyrium hoc plurimis prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim; Antonii corpus, abscisso capite, constitisse, nec nisi finita Sociorum caede potuisse dejici; atque insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita penitus integra et incorrupta permansisse. Quare ab Alphonso Calabriae Duce, Ferdinandi Regis filio, urbe recuperata, summa religione ac pompa, ipsoque comitante, ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat, collocantur. Quadriennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem martyrum corporibus idem Alponsus Dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatae Mariae Magdalenae prope Castrum Capuanum collocavit; unde postea ad Ecclesiam Sanctae Catherinae ad Formellam nuncupatam translata sunt; ubi nunc etiam pie sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum patria Hydruntum veneratur; Beatorumque Martyrum praesentem opem saepissime experta cultum ab immemorabili tempore iisdem praestitum Clementis Decimi quarti Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum curavit. *In III. Noct. de comm. 1. loco.*

Die 25. Augusti.

In festo S. Bartholomaei Apostoli.

Duplex. 2. class.

Offic. ut in Brev. excepta 6. Lect. ut infra.

Lect. VI.

Ejus corpus Albani. quae est urbs majoris Armeniae, ubi passus fuerat, sepultum est. Quod postea ad Liparam insulam asportatum, inde Beneventum anno partae salutis octigentesimo trigesimo octavo per Sicardum Principem translatum, in Ecclesiae Metropolitanae Cappella, quam Sicardus ipse inchoandam, Ursus vero Episcopus perficiendam curavit, sequenti anno, die vigesimaquinta Octobris, idem Episcopus collocavit: ac tandem in ecclesia ejus nomine Deo dicata, anno millesimo trecentesimo trigesimo octavo, Arnaldus Archiepiscopus, Benedicto Papa duodecimo annuente, ob testimonium hujus Provinciae Antistitum, honorifica habita translatione, tumulavit. Verum, cum Ecclesia ipsa propter terraemotum die quinta Junii, anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo, Cardinali Ursino Archiepiscopo, funditus diruta esset, solemni pompa, die septima Februarii sequentis anni, in principem Basilicam reportatum, ibi, quousque novae Ecclesiae structura compleretur, depositum fuit. Ea demum ad fastigium fere perducta, in secundo provinciali Concilio millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, eodem praesidente Antistite celebrato, sacrum corpus elevatum, recognitum, ostensum. et in nobili porphyritica urna repositum, solemnissima supplicatione, in qua, praeter Metropolitam, viginti tres alii Pontifices interfuere, innumerique totius Regni populi concursu, laetitia, ac plausu, optato postliminii jure, ad novam ipsam Ecclesiam idibus Maii translatum, sub ara pretioso marmore ditata reconditum fuit. Cum vero eadem Ecclesia, eodem Cardinali Ursino Archiepiscopo, altero terraemotu pridie Idus Martias anni millesimi septigentesimi secundi diruta rursus esset, sacrum corpus cum porphyritica urna prorsus illaesum in principem Basilicam denuo reportatum fuit. Tandem postridie nonas Majas anno millesimo septigentesimo vigesimo nono Benedictus Papa decimus tertius Archiepiscopus noster, iterum Beneventum remeans, soluto tertio provinciali Concilio, quod coacturus venerat, ejusdem sancti Apostoli corpus suppositis humeris ipsius, aliorumque Episcoporum, alternatim, et devote efferens Praesulum, Cleri, populi, et longinquorum hominum praesentia in novam Basilicam sua pecunia exaedificatam, et a semet solemni consecratione eidem Apostolo nuncupatam transtulit, et contumulavit. Agitur Beneventi dies festus octavo Kalendas Septembris, et per octo antecedentes, et octo consequentes dies dicta Basilica, magna populi frequentia recolitur.

Die 26. Augusti.

In festo Translationis S. Mercurii.

Martyris. *Duplex.*

Offic. de comm. un. Mart. prael. seq.

Ad Vesp. et Matut.

HYMNUS.

Mercuri, cujus generosa virtus
Persicos fregit toties furores,
Et triumphalem meruit decora
Fronte coronam.

Tunc, post tergum manibus revinctis,
Vulnus expectas rigidae bipennis?
Has tibi grates merito rependit
Caesar amico?

Laetus, et frustra premit innocentem
Actus immiti rabie tyrannus:
Nullus Heroem Fidei dolorem

Dimovet horror.

Sit decus Patri, genitaeque Proli;
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus omni
Temporis aevo. Amen.

℣. Gloria et honore etc.
℟. Et constituisti eum etc.

Ad Magn. in utrisq. Vesp. et Benedict. Antiph.

Salve Miles egregie Mercuri, Martyr inclyte, esto nobis refugium apud Dominum.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui beati Mercurii martyris tui translationem colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Mercurium Schytam, Gordiani filium, a parentibus Philopatrum vocitatum legimus. Illud vero nomen commilitones eidem imposuisse, memoriae est proditum. Ob egregia facinora in bello adversus Persas perpetrata, Decio Principi charissimus fuit, atque honoribus auctus. Sed cum christianam fidem profitentem noverint commilitones, ad Decium, ut impietatis reum detulerunt. Cumque accersitus esset a Principe, nec blandiciae, nec minae sancto Militi deorum cultum persuadere potuerunt. Propterea in Cappadocia anno tertii saeculi quarto ac quadragesimo securi percussus, illustre Christianae vitae testimonium reliquit.

Lect. V.

Ejus corpus anno septimi saeculi tertio et sexagesimo Constans Constantinopolitanus Princeps in Italiam proficiscens secum detulit. Dum autem bellum atrocissimum Appulis infert, Provinciam igne ferroque diripit, ac Beneventum validissima obsidione premit, Romualdus Beneventanorum Princeps, divina fretus ope, signa confert, erumpit, manus strenue cum hoste conserit, Graecorum copias partim delevit, partim in fugam conjecit. Quo quidem tempore sanctissimum Mercurii pignus remansit in civitate Quintodecimi, donec anno ab hinc quinto et centesimo Arechius secundus, Beneventanorum Princeps, Joannis secundi, unde quadragesimi Episcopi auctoritate illud Beneventum transtulit.

Lect. VI.

Porro hanc translationem portenta quaedam consequuta fuisse fertur. Sed illud in primis minime praetereundum est, quod, cum sacrum corpus in arca praenobili conditum boves deferrent, ad pontem S. Angeli, non longe a porta Aurea constiterunt, ibique nixis pedibus conatus omnium, qui cunctantes nolentesque movere satagebant, plane fefellerunt. Propterea Cleri, populique summa frequentia lectissimam atque optimam sarcinam egregius Princeps in humeros extulit, ac ad sanctae Sophiae templum itineris reliquum peregit. Sed cum ibi honorificentissime situm esset, tractu temporis pars maxima inde ablata est: atque ad Monasterium Montis Virginis asportatum summo honore Christiani venerantur.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Si quis vult etc. *ut in Brev.*

AD LAUDES.

Hymnus.

Integrum vitae, scelerisque purum,
Sancta cui menti pietas inhaeret,
Nulla tormenti movet, aut cruentae
Mortis imago.
Firma ceu rupes boreae procellas

Temnit, et fluctus maris aestuosi :
Mercuri, sic tu furias tyranni
Temnis iniquas.
Laetus hinc mortem subis, et deorum
Surda deridens simulacra, ferro
Subjicis collum, veluti daturus
Tempora lauro.
Sit decus Patri, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus omni
Temporis aevo. Amen.

Ad Benedictus Ant. Salve miles etc. *ut in* 1. *Vesp.*

Die 1. *Septembris.*

In festo SS. XII. Fratrum Martyrum. *Duplex.*

Omn. de comm. plur. Mm. praet. seq.

Oratio.

Fraterna nos, Domine, martyrum tuorum corona laetificet, quae et fidei nostrae praebeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. de scr. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Brunonis Episcopi.

Lect. IV.

Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Sedebunt Apostoli super sedes duodecim : sedebunt et Sancti, quorum solemnia celebramus; sedebunt et alii super sedes suas, qui eorum exemplo vixerunt, et Christum Dominum secuti sunt, plures enim sunt ibi sedes, quam duodecim, pluresque judices ibi erunt. Sed quae sunt istae sedes, super quas isti judices sedent ? Istae enim sedes singulae Ecclesiae sunt. Unde et Episcopi Ecclesias, quibus praesunt, sedes suas vocare consueverunt. Sedebit igitur unusquisque in sede sua, quoniam in populo, quem rexit, et praedicavit, major et sublimior apparebit : sedebit autem et Dominus in sede majestatis suae, quoniam Angelis et hominibus praesidebit. Judicabit igitur Dominus; judicabunt et Sancti Martyres ; judicabunt Episcopi et Sacerdotes.

Lect. V.

Beatissimi igitur germani duodecim, ut se horas diei illius esse ostenderent, qui de seipso discipulis in Evangelio protestatur : Nonne duodecim sunt horae diei ? multa mirabilia ad glebas suorum corporum, operante Domino, ostendere et demonstrare non desinunt usque in praesentem diem. Nunc igitur, charissimi fratres, ad nosipsos mentis lora flectamus, in cordibus nostris sedem justo judici statuamus, eamque judicii et justitiae virtutibus adornemus : et sic scire valebimus, qualiter gratulari in tantae festivitatis gloria debeamus : nam licet nullus esse debeat patriae finis, vel angulus ab hujus diei gaudio alienus, qua nobis transvectione suorum corporum tam praeclara luminaria splenduere; nos tamen praecipue in ea exultare debemus, qui Sanctorum obsequiis deputamur, et tantarum margaritarum fulgoribus illustramur. Enixius namque est nobis, fratres charissimi, laborandum, ut qui in Ecclesia omni convenimus Sanctorum duodecim Fratrum solemnia celebraturi, ipsi quoque domus Dei efficiamur, et reliquis bonorum actuum, et nitidarum cogitationum diem festum Domino peragamus, ut in coelesti domo cum eis, et omnibus Sanctis perpetuo gratulemur.

Lect. VI.

Quapropter, si hoc cupimus adipisci, virtutes duodecim in ara nostrorum cordium recondamus : fidem videlicet, spem, charitatem,

sapientiam, justitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, castitatem, obedientiam, timorem, et in istis, et aliis virtutibus perseverantiam confinalem. Ecce istae sunt ter quadrangulatae virtutes, et inter se ordinatim conjunctae, et quodammodo germanae; quae si in nobis continua statione figuntur, corda nostra et corpora in domum Dei consecrare non cessant. Quadrum namque in quacumque partem verteris, firma statione consistit: numerum quoque duodenarium nonnisi in bonam partem poteris invenire; sive namque ter quatuor, sive tres quatuor facias, duodenarium numerum comples, qui plenus est, atque perfectus. Quid autem per tres, nisi sanctam intelligimus Trinitatem? et quid per quatuor, nisi quatuor Evangelistas, vel quatuor mundi accipimus partes? Isti igitur Martyres dicuntur meridiani, quia in Africa, quae in meridie sita est, orti noscuntur; et bene meridiani, quia Sancti Spiritus igne ferventes, in aestu persecutionis animas emiserunt. Hi ergo Martyres gloriosi in Meridie nati, et in Occidente mille, ut ita dicam, tormentorum generibus excruciati, atque pro Christo decapitati, cum ipso in coelis gloriantur perenniter laureati.

Die 4. Septembris.

In festo S. Rosaliae Virginis.

Semiduplex.

Omnia de comm. Virg. praeter. sequent.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster; ut sicut de beatae Rosaliae virginis tuae festivitate gaudemus; ita piae devotionis erudiamur effectu, et ejus intercessione ab iracundiae tuae flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Rosalia virgo orta Panormi ex nobili genere, suam originem trahens a Carolo Magno, in Quisquinae montem quadraginta circiter mille passibus distantem sola secedens, paternae domus opes delicias, ac spem majoris amplitudinis, ob propinquitatem et benevolentiam Regum Siciliae, contemnens, cum tetricae rupis horrore et asperitate commutavit: inque antrum, cui tunc unicus, et quidem angustus aditus e superiori loco patebat, intrepide descendit, ea mente quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinae et Rosarum Domini filia, amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis observante, susceptae vitae propositum altius cordi infigere, ac divinae benevolentiae signa ad castissimae mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

Lect. V.

In hac specu subterranea sibi et mundo emortua, consepultaque Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctuque latuit, cavens praecipue in montibus paterni Principatus, ne forte agnita in domum urbemque patriam adduceretur invita. Callidas daemonum insidias, quae asperae vitae taedium, et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter saeviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione forti animo superasse, antiquae Icones significant. Cumque humanis destituta praesidiis, nihil solatii aliunde hauriret quam e coelo; Dominus, qui con-

solatur, et coronat Sanctos suos, Angelis deliciis illam saepius recreabat.

Lect. VI.

Coelesti deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam Peregrini montis, tribus fere mille passibus procul Panormo, Rosalia se transtulit; ut quo difficiliorem pugnam secum ipsa committeret, e conspectu domus paternae, eo laudabilius de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem laevam angustus concavus, quem eadem post repertas ejus reliquias, illuc venanti, cui se videndam praebuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum aetatis exegisset. Hic tanquam columba in foraminibus petrae gemens, in coelestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime, perennibus charitatis rosis, et virginitatis liliis coronata deposuit pridie nonas septembris. Cujus corpus Urbano Octavo Pontifice Maximo divinitus anno Jubilaei totius Siciliae plausu repertum, illam a peste liberavit.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Simile erit Regnum caelorum decem virginibus, etc. *ut in comm. Virgin.*

Die 26. Septembris.

In festo S. Victoris Papae III.

Duplex.

Offic. cum Lect. I. et III. Noctur. de comm. Conf. Pont. primo loco.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Victori Confessori tuo atque Pontifici in suprema Ecclesiae dignitate declinanda humilitatis spiritum et in illa tuenda invictum animi robur tribuisti: concede nobis famulis tuis terrenos honores constanter despicere, et omnes inimici insidias fortiter superare. Per Dominum.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Victor Papa tertius, Desiderius antea dictus, Beneventi Principe familia natus, a primis annis Ecclesias frequens invisebat, divinis lectionibus vacabat, et piorum hominum consuetudine delectabatur. Adolescens paris nobilitatis sponsam sibi destinatam deserens, clam eremum petiit, et cucullum induit; sed a matre, et consanguineis summa vi domum revocatus, in sancta vocatione persistens, elusis custodibus, ad Cavense monasterium confugit; ubi aliquantulum commoratus, et sub Sancti Alferii Abbatis disciplina solidam pietatem edoctus, ob importunas Principis Beneventani preces ea conditione in patriam remeavit, ut sub abitu regulari in Monasterio Sanctae Sophiae monachi vitam ducere ei permitteretur. Sed veritus ne civium et familiarium consuetudine a Dei servitio retraheretur, ad insulam Tremitensem, monachorum ibi degentium fama sanctitatis allectus, perrexit. Ejus prudentia, et insigni sanctimonia captus Tremitensis Abbas, eidem monasterii regimen committere, et infulas resignare decrevit; quod cum Desiderius intellexisset, latere magis, et nesciri cupiens, ad monachos in eremo montis Majellae, rudem ac asperam vitam ducentes, se contulit. Horum tamen consuetudine non diu frui potuit, a Leone Papa nono ad Beneventanum Sanctae Sophiae monasterium iterum redire coactus; ubi longa abstinentia, et diuturnis vigiliis, quibus

assiduae vacabat, maceratus, gravem in morbum incidit.

Lect. V.

Ex eo morbo dum convaluisset, Casinum se recepit, ibique monachorum coetui adscriptus, summa animi dimissione, et egregia morum innocentia omnium amorem et venerationem sibi conciliavit, adeo ut communi suffragio Abbas (ut in somnis jampridem divinitus fuerat praemonitus) designatus fuerit, approbante Stephano nono, a quo etiam pro instauranda Ecclesiae Graecae communione cum Apostolica Sede; Legatus Constantinopolim designatus est. Mortuo Stephano Papa, Desiderius jam transfretare paratus, a suis ad Abbatiam capessendam accersitus; et paulo post a Nicolao secundo Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis eligitur, ac Casinensis Abbas consecratur. Eo in munere, cum in Reipublicae Christianae procurandis negotiis sedulus vacaret; et a Summis Pontificibus in rebus difficillimis destinaretur, domesticis tamen curis minime defuit. Nam monachorum mores ad exactam regulae normam revocavit: eorum numerum adauxit: Monasterii aedificia fere omnia ex integro ampliora restituit: sacram supellectilem mira arte elaboratam, ingenti pretio coemit: Basilicamque Casinensem, quam a fundamentis erexerat, ac splendide ornaverat, singulari pompa ab Alexandro secundo dedicari curavit. Eo Praesule, nedum summi Ecclesiarum Pastores, et saeculi Principes, ac Dynastae, sacri loci visendi studio frequentes accessere, sed etiam plures viri sanctitate celebres, quos inter beatus Petrus Damiani, qui Monachorum cultissimos mores, et Abbatis summam humilitatem demiratus, illis luculentum contexuit elogium; Desiderium vero Monachorum Archangelum appellavit.

Lect. VI.

Desiderii autem humilitas maxime enituit in respuenda per integrum fere annum supremae Cathedrae dignitate quam ei Gregorii septimi sanctissimi sui praedecessoris judicium, et totius Ecclesiae suffragium detulerat: enixis tamen Praesulum, et Principum votis, ac precibus victus, in Capuana Synodo Victoris nomen, et Pontificatus insignia, quae abjecerat, resumpsit. Romam deductus, solemni ritu consecratur, et Divi Petri Basilicam, deinde Urbem, Pseudo-Pontifice Guilberto, ejusque factionis hominibus ejectis, recepit. Exercitum sub vexillo Sancti Petri ex tota fere Italia collectum, contra Saracenos transmisit in Africam, ubi commisso praelio, illorum centum millia caesa sunt; cujus victoriae miraculo partae argumentum est, quod eodem die in Italia cognita fuit, quo in Africa fuerat reportata. Beneventi coacta Synodo, schismaticos anathemate perculit. Investitutarum usum, quo in Ecclesia electionum libertas opprimebatur, omnino proscripsit: pluraque alia ad ecclesiasticam disciplinam pertinentia decrevit. Peracta Synodo, lethali morbo correptus, Casinum, Cardinalibus et Episcopis comitantibus, se deferri jussit; ubi assiduis laboribus pro conciliandа Ecclesiae pace fractus, sextodecimo Kalendas Octobris anni millesimi octogesimi septimi, cum sedisset a suae consecrationis die menses quatuor, et dies septem, animam Deo reddidit sanctitate vitae et miraculorum gloria clarissimus.

Die 3. Octobris.

In festo SS. Festi et Desiderii

Mm. *Duplex.*

Offic. de comm. plurim. Martyr.

Oratio.

Sanctorum Martyrum tuorum nobis, Domine, Festi Diaconi, et Desiderii Lectoris Sanctae Beneventanae Ecclesiae merita prosint, et tuo nos semper faciant amore ferventes. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Festus Diaconus, et Desiderius Lector Beneventanae Ecclesiae ad scripti, Diocletiano ac Maximiano Principibus, cum sanctum Januarium Episcopum, ac conterraneum, propter Christi confessionem Nolae in custodiam traditum, crebro convenissent, ad Timothaeum Campaniae Praesidem deferuntur. Hinc, velut sancti Episcopi criminis participes, cum eo Puteolos ante Praesidis rhedam pertrahuntur atque in eundem conjiciuntur carcerem, in quo Sosius Misenas. Proculus Puteolanus diaconus, Eutyches, et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur.

Lect. V.

Postero die omnes in amphiteatro feris objecti sunt; quae naturalis oblitae feritatis, ad Januarii pedes se postravere. Id Timothaeus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset, oculis repente captus. orante mox beato Januario, lumen recepit: quo miraculo, hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt. Verum ingratus judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem; veritus maxime Principum decreta, sanctum Episcopum cum sociis gladio percuti jussit.

Lect. VI.

Ad Januarii, Festi Diaconi, ac Desiderii Lectoris corpora Cyphium quemdam paganum, ex primoribus Beneventanae civitatis, quod portentosa de iis audiisset, ut sobolem desideratam susciperet, confugium habuisse traditum est. Ergo horum patrocinium implorat, et si voti compos aliquando efficiatur, Christo nomen se daturum pollicetur. Tum Festi, ac Desiderii corpora nactus (nam Januarii corpus tulerant Neapolitani) optimo ac honorificentissimo loco recondenda curavit. Liberos interim suscepit atque cum uxore, et tota familia Christianus efficitur. Templum deinde magnificum, eorum Sanctorum nomine insignitum, prope fluvium Sertellae aedificavit. Quod quidem primum in Sanctorum honorem in Beneventana civitate instructum creditur. Sed eadem Sanctorum corpora postmodum ad monasterium Montis Virginis translata fuerunt. Porro reliquiae tantum in eadem Ecclesia modo supersunt, atque in ara maxima summo honore servantur. Horum festum Archiepiscopus Cardinalis Ursinus, qua semper fuit in Sanctos eximia observantia, hac die celebrari, et per canonicos praecipue coli mandavit.

Die 5. Octobris.

In festo S. Modesti Levitae

et Mart. *Duplex.*

Offic. de comm. un. Mart. praet. sequentia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Modestum martyrem tuum

virtute constantiae, eximioque tui amore in cruciatibus roborasti: concede propitius, ut tuae sanctae legis amore atque observantia, cum eo aliquando regnare possimus in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Modestus Levita, in Sardinia claris parentibus natus, ab ineunte aetate literis eruditus, aequales ingenii praestantia, ac morum sanctitate superavit. Animi modestiam, patientiam, misericordiam, vitae castimoniam, aliasque virtutes studiosissime coluit. Plures mortuos ad vitam revocasse, atque ex iis quemdam coram populo, suis oratione ac lacrymis in funus prodeuntibus vivum reddidisse, traditum est.

Lect. V.

Quatuor coecis visum reddidisse, mutos, claudos, aliisque morbis detentos, liberasse fertur. Sub Dioclætiano Principe, quod nefarium deorum cultum contempserit, equuleo tortus, igneque adustus, sexto nonas Octobris martyrii coronam adeptus est. Ejus corpus Arechii Ducis secundi, aliorumque piorum virorum precibus, et sancti Gregorii Magni auctoritate Beneventum translatum, ibique in templo, suo nomine insignito, collocatum fuit.

Lect. VI.

Sermo S. Augustini Episcopi etc. Triumphalis beati Martyris Modesti etc. *ex comm. ut in Breviar.*

In III. Noct. Homil. in Evang. Si quis venit, *ut in eod. comm.*

Die 7. Octobris.

In festo S. Marci Episc.

et Conf. *Duplex.*

Offic. de comm. Conf. P. praet. propr.

Oratio.

Deus, qui praesentem diem honorabilem nobis in beati Marci Confessoris tui atque Pontificis festivitate tribuisti: da nobis quaesumus, ut sicut illum pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Marcus in Ecana Apuliae civitate, quam Trojam vocant, natus, a Joanne Lucerino Episcopo, quarto fere ineunte saeculo, in presbyterorum ordinem cooptatur, atque ei tandem sufficitur. Sex et viginti annos munus sibi creditum studiose ac diligenter peregit, obiitque supremum diem nono Kalendas Augusti circa annum ejusdem saeculi trigesimum. Verum, prout ipse moriens mandaverat, ejus corpus Bovinum delatum in templo maximo, in ipsius honorem constructo, conditum fuit, et veluti civitatis Patronus, ejus memoria quotannis eadem die summo honore colitur. Sed cum jampridem pars ejus corporis maxima Beneventum asportata sit, atque in parochiali Ecclesia ejus nomine insignita iterum reposita fuerit, singulis annis translationis quoque memoria hac die renovatur.

Lect. V. et VI.

Sermo S. Maximi Episcopi. *Ex Homil.* 19, *quae est* 2. *de S. Eusebio:* Beati Patris Marci merita etc. *ut in eodem comm.* 2. *loco.*

In III. Noct. Homil. in Evangelio Homo peregre proficiscens, *ut in com.*

Die 14. Octobris.

In festo S. Callisti Papae et Mart. Duplex.

Offic. de comm. un. Martyr. praet. seq.

Oratio.

Deus qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dom.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Callistus Romanus praefuit Ecclesiae Antonino Eliogabolo imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum, ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam S. Mariae Transtyberim, et in via Appia vetus Coemeterium, in quo multi sancti Sacerdotes, et Martyres sepulti sunt, ampliavit; unde ab eo Callisti Coemeterium appellatur.

Lect. V.

Ejusdem pietatis fuit, quod beati Calepodii presbyteri et martyris corpus, jactatum in Tyberim, conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivivit. Palmarium Consulari, Simplicium Senatoria dignitate illustres, Felicem et Blandam, qui deinde omnes martyrium subiere, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi privatum militem ulceribus plenum admirabiliter sanitati restitutum, Christo adjunxit, pro quo idem, recens adhuc a fide suscepta, plumbatis usque ad mortem coesus, occubuit.

Lect. VI.

Sedit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque mense decembri, creavit presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem, crebrasque verberationes, praeceps actus in puteum; atque ita martyrio coronatus sub Alexandro imperatore, illatus est in coemeterium Calepodii via Aurelia tertio ab Urbe lapide, pridie Idus octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam S. Mariae Transtyberim, ab ipso aedificatam, delatum, sub ara majori, maxima veneratione colitur.

In III. Noct. Homil. in Evangelio Nihil est opertum, *ut in Brev. hac die.*

Die 16. Octobris.

In festo S. Tammari Episcop. et Conf. Duplex.

Offic. de comm. Conf. Pont. praet. seq.

Oratio.

Deus, qui beatum Tammarum Confessorem tuum atque Pontificem admirabili sanctitate illustrare voluisti: concede propitius, ut ejus meritis et intercessione ad coelum aliquando nos pervenire valeamus. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Tammarus ex iis fuisse traditur; qui in persecutione Wandalica, quinto Christi saeculo, in pene fractum naviglum, velis remisque destitutum conscendere sunt coacti. Cum ad Campaniae littora non sine divino auxilio appulerint, Tammarus, non secus atque caeteri, Christum praedicandum, ejusque legem mirifice proferendam curavit. Beneventanae Ecclesiae post Dori secundi mortem praefic'tur. In quo quidem munere sedulam navavit operam; nam morum sanctitatem, rem christianam, studium pacis, caeterasque virtutes excoluit. Tandem mi-

raculis clarentem obiisse, eique sanctum Sophum martyrem fuisse suffectum, memoriae proditum est. Ejus reliquiae in templo maximo servantur, easque summo anniversarii honore hac die universa civitas veneratur.

Lect. V. et VI. Sermo S. Maximi Episcopi. *Ex Hom. 19. quae est 2. de S. Eusebio* Beati Patris Tamnari merita etc. *ut in comm. 2. loco in Brev.*

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Homo peregre proficiscens etc. *ut in Brev.*

Die 22. Octobris.

In festo SS. Sosii,

et Sociorum Mart. *Semiduplex.*

Offic. de comm. plur. Mart. praet. seq.

Oratio.

Deus, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum Sosii et sociorum ejus solemnitate laetificas: concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Euthyches et Acutius laici, Diocletiano et Maximiano principibus, Timothei Campani Praesidis jussu, quod deos contemnerent, Puteolis in carcerem conjiciuntur; atque inde cum beato Januario Beneventano Pontifice, Festo quoque Diacono, ac Desiderio Lectore, bestiis discerpendi, ac devorandi traduntur. Verum hae ferae, excitatae licet, atque agitatae, veluti rationis participes, Christi Martyres laedere non sunt veritae, atque ad eorum pedes, frequentissimo inspectante populo, stratae jacuerunt. Securi ergo percussi, praeclarum christianae fidei testimonium reliquerunt. Sosii corpus tulerunt Misenates, idem caeteris praestiterunt Puteolani, qui eos sibi in Patronos cooptarunt, atque honorificentissimo loco corpora condenda curarunt.

Lect. V. et VI. Sermo S. Agustini Episcopi. *Serm. 47. de Sanctis.* Quotiescumque, fratres charissimi, Sanctorum Martyrum etc., *ut in comm. plur. Mart.*

In III. Noct. Homil. in Evang. ut in die 19. Sept.

Die 23. Octobris.

In festo Translationis S. Januarii,

Episc. et Mart. *Duplex.*

Offic. de comm. un. Mart. praet. seq.

Ad Magnificat. *Ant.*

Beatus Januarius Praesul et Martyr inclytus, extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit.

Oratio.

Deus, qui in Translatione beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis, pretioso nos praesidii pignore locupletasti: quaesumus, ut ipso intercedente, populum tuum ab omnibus periculis eruas, ac de thesauris tuis divitias in nos ineffabilis misericordiae benignus effundas. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. A Mileto etc., *ut in eod. comm.*

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Januarius Beneventi Episcopus, Diocletiano et Maximiano in Christianos saevientibus, ad Timotheum Campaniae Praesidem ob christianae fidei professionem Nolam per-

ducitur. Ibi ejus constantia varie tentata, in ardentem fornacem conjectus, ita illaesus evasit, ut ne vestimentum aut capillum quidem flamma violaverit. Hinc Praeses accensus iracundia, Martyris corpus imperat usque eo distrahi, quoad nervorum compages arctuumque solvantur. Festus interea ejus Diaconus, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique, una cum Episcopo ante rhedam Praesidis Puteolos pertrahuntur. et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus. Eutiches, et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur.

Lect. V.

Postero die omnes in amphiteatro feris objecti sunt; quae naturalis oblitae feritatis, ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox beato Januario, lumen recepit; quo miraculo, hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt. Verum ingratus Judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem; veritus maxime Principum decreta, Sanctum Episcopum cum sociis gladio perculi jussit.

Lect. VI.

Januarii corpus Neapolitani divino admonitu extulere, quod post quinque fere saecula ad hanc civitatem translatum est. Quam translationem solemni pompa explevit Sico quartus Princeps anno salutis octigentesimo vigesimo quinto. Pretiosissimum corpus in sacrosancta Basilica metropolitana eodem in loco a Gutto hujus Sedis Pontifice conditum fuit, ubi sanctorum Festi Diaconi, et Desiderii Lectoris sacra pignora condebantur; ut quos junxerat una amor, patria et mors, servaret monumentum. Sacrum vero tumulum Sico Princeps, pietate, munificentia, et bellica laude nemini secundus, nobili diademate, auro, gemmisque compacto (quo caput redemitum praeferebat) ditavit. Ibidem sacrum Praesulis ac civis corpus innumeris claruit miraculis usque ad annum millesimum centesimum vigesimum nonum, quo cum Festi et Desiderii corporibus a Roffrido secundo Archiepiscopo, in Basilica a Gualterio Tarentino Archiepiscopo, ac hujus civitatis Rectore magnifice excitata repositum fuit. Hinc ad Monasterium Montis Virginis delatum est. Tandem Neapolim asportatum, ac in majori Ecclesia conditum, maximis miraculis claruit, et in dies clarescit. Ejus tamen reliquiae tam sub principe ara, quam in argenteis simulacro ac brachio, Archiepiscopo Cardinali Ursino, honorificentissime sitae, magna fidelium devotione erga tantum Episcopum, Patronum, ac civem venerantur, miris quoque die signis coruscantes.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lect. VII.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrisostomi.

Homil. 34. in Matth. post. init.

Cum Dominus omnem sollicitudinem a discipulorum cordibus ejecerit, et ostensione signorum armaverit, atque ab omnibus negotiis saecularibus alienatos, et ab

omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique eventura illis adversa praedicit. Multa enim ex hac praedictione futurarum rerum commoda consequebantur. Primum, ut ejus praescientiae vim ediscerent. Deinde, ut nemo suspicaretur ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Praeterea, ne qui ea passuri erant, subito ac inopinato rerum eventu perturbarentur. Denique, ne cum ista sub ipsum passionis suae tempus audirent, nimium commoverentur.

Lect. VIII.

Jam vero, ut intelligant novum hoc esse belli genus, et insolitum praeliandi morem, cum illos nudos mitteret, una indutos tunica, sine calceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipientibus ali juberet; non fecit hic deinde finem, sed inexsplicabilem virtutem suam proferens: etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen ovium ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in medio luporum. Neque vero ovium tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbae simplicitatem: sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur; et quamvis illae sint in medio luporum, et innumeris morsibus lacerentur, non modo non consumptae fuerint, verum etiam illos in sui naturam transmutaverint.

Lect. IX.

Majus certe, atque admirabilius est mentem adversariorum commutare, et animum in diversum transferre, quam illos occidere; praesertim cum duodecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis universus. Erubescamus igitur, qui longe diversa facientes, tanquam lupi in adversarios ruimus. Nam quamdiu oves fuerimus, vincimus, etiamsi mille circumsteut lupi, superamus, et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit; qui non lupos, sed oves pascit.

Ad Benedictus. Antiph.

Igne me, Domine, examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

In 2. Vesp. Ad Magn. Ant.

Liberasti me, Domine, a rugientibus praeparatis ad escam, et a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestatus.

Die 25. Octobris.

In festo Translat. S. Bartholomaei.

Apost. ex insula Liparitatana Beneventum *Duplex.*

Totum offic. ut in ejus die festo 25. Augusti, except. VI. Lect. ut infra. In Orat. mutat. Festivitate *in* Translatione.

Lect. VI.

Ejus corpus Albani, quae est urbs majoris Armeniae, ubi is passus fuerat, sepultum est. Quod postea ad Liparam insulam asportatum, inde Beneventum anno partae salutis octigentesimo trigesimo octavo per Sicardum quintum Principem, Urso quadragesimo secundo Episcopo; Gregorio quarto Pontifice Maximo, solemni pompa translatum fuit. Agitur Beneventi hujus translationis memoria octavo Kalendas Novembris, et per octo consequentes dies Basilica tanti corporis thesauro in praesens decorata, magni populi frequentia celebratur.

Die 9. Novembris.

In festo Dedicationis Basilicae Salvatoris. *Duplex.*

Omn. ut in Brev., sed in fine VI. Lect. addantur verba sequentia, quae in antiquis Breviariis non reperiuntur.

Eamdem Ecclesiam incendiis, vastationibus, terrae insuper motibus disjectam, eversamque, ac sedula summorum Pontificum cura reparatam, nova postmodum molitione restitutam, Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus, Ordinis Praedicatorum, die vigesima octava Aprilis anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti ritu solemni consecravit; ejusque celebritatis memoriam hac die recolendam statuit.

Die 11. Novembris.

In festo S. Mennae Solitarii Conf. Civit. et Dioecesis Patroni.

Dupl. maj.

Offic. de comm. Conf. non Pontif. exceptis sequent.

Oratio.

Deus, qui nos beati Mennae Confessoris tui annua solemnitate laetificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. Justus. *ut in comm.*

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Ex libro Dialogorum S. Gregorii Papae.

Nuper in Samnii provincia quidam venerabilis vir Menna nomine, solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc fere decennium defunctus est. De cujus operis narratione unum auctorem non infero, qui pene tot mihi in ejus vita testes sunt, quot Samnii Provinciam noverunt. Hic itaque nihil ad usum suum aliud, nisi pauca apum vascula possidebat. Huic cum Longobardus quidam in eisdem apibus rapinam voluisset ingerere, prius ab eodem Viro verbo correptus fuit, et mox per malignum spiritum ante ejus vestigia vexatus. Qua ex re factum est, ut sicut apud omnes incolas, ita etiam apud eam barbaram gentem ejus celebre nomen haberetur; nullusque ultra praesumeret ejus cellulam, nisi humilis intrare.

℟. Honestum fecit etc.

Lect. V.

Saepe vero ex vicina silva venientes ursi, apes ejus comedere conabantur, quos ille deprehensos, ferula, quam portare manu consueverat, caedebat. Ante cujus verbera immanissimae bestiae rugiebant, et fugiebant; et quae gladios formidare vix poterant, ex ejus manu ictus ferulae pertimescebant. Cujus studium fuit nihil in hoc mundo habere, nihil quaerere. Omnes, qui ad se charitatis causa veniebant, ad aeternae vitae desideria accendere solebat. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, numquam ab increpatione parceret, sed amoris igne accensus, studebat in eis vehementer per linguam saevire. Consuetudinem vero vicini, vel longe positi ejusdem loci accolae fecerant, ut diebus certis per hebdomadam unusquisque ei oblationes suas transmittere, ut esset; quod ipse ad se venientibus offerre potuisset.

℟. Amavit eum etc.

Lect. VI.

Quodam vero tempore possessor quidam Charterius nomine, immundo desiderio devictus, quamdam sanctimonialem faeminam rapuit, sibique illicito matrimonio conjunxit.

Quod mox ut Vir Dei cognovit, et per quos potuit quae fuerat dignus audire, mandavit. Cumque ille sceleris sui conscius timeret, atque Virum Dei nequaquam accedere praesumeret, ne forte nunc aspere, ut delinquentes solebat, increparet, ferit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit, ut illius munera, saltem nesciendo susciperet. Sed cum coram eo fuissent oblationes omnium deportatae, Vir Dei tacitus, sed singillatim, omnes considerare studuit, et omnes alias eligens, atque seorsum ponens, oblationem, quam idem Cartherius transmiserat, cognovit per spiritum, sprevit, atque abjecit, dicens: Ite, et dicite ei: Oblationem suam Omnipotenti Deo abstulisti, et mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio, quia suam abstulisti Domino. Qua ex re factum est, ut praesentes quoque magnus timor invaderet, cum Vir Domini tam scienter de absentibus judicaret.

℟. Iste homo etc.

In III. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri etc. *de eod. comm.*

Die 16. Novembris.

In festo S. Joannis Ursini

Ep. et Conf. *Duplex.*

Omn. de comm. Conf. Pont. praet. seq. orat.

Oratio.

Deus, qui hodierna die beatum Joannem Confessorem tuum atque Pontificem ad aetherea regna migrare fecisti: concede, propitius ut sicut de ipsius solemnitate gratulamur in terris, ita de ejusdem consortio gloriemur in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ. Reliqua de eod. comm. 2. loco.

Die 26. Novembris.

In festo S. Dori Episc. et Conf.

Duplex.

Off. de comm. Conf. Pont. praet. seq.

Oratio.

Deus, qui beatum Dorum confessorum tuum atque Pontificem gloriosis meritis illustrare voluisti: concede, ut ejus pia intercessione sanctorum virtutum imitemur exempla. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO

Lect. IV.

Dorus, Beneventi natus, moram innocentia, ac sanctitate maxime claruit. Anno saeculi quarti vigesimo, cum sanctus Silvester Romanae praesset Ecclesiae, Theophilo decimoquarto Beneventano Pontifici sufficitur. Oves sibi creditas seduló pavit. Adversus Catholicae fidei hostes acriter, nec infelici successu dimicasse, memoriae est proditum. Annis tandem, ac meritis plenus diem obiit suum, eique sanctum Apollonium suffectum legimus.

Lect. V.

Ex Sermone S. Joannis Chrysostomi

In cap. 15. Epist. ad Rom.

Serm. 29.

Et homines quidem, qui populis praesunt, si quando de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent: nos vero, qui pro ipso coelo certamen habemus, ipso quoque die dormimus. Quis, quaeso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus, tanquam ad nundinas currendum erat? Haec autem non solum pastores, sed et oves audiant, ut alacriores faciant pastores, aliud

quidem nihil, verum omnem obedientiam, animamque, cui persuaderi queat, exhibentes.

Lect. VI.

Ita Paulus praecepit, dicens: Obedite ducibus vestris, et subditi estote; nam ipsi vigilant pro animabus vestris tanquam rationem daturi. Quando vero dicit: Nam ipsi vigilant; innumeros labores, curas, et pericula complectitur. Bonus enim pastor, et talis, qualem Christus vult, innumeris comparatur Martyribus. Propter Christum quippe Martyr semel quidem est mortuus, hic vero millies propter gregem, si quidem talis sit pastor qualem esse oportet: talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea et vos, cognito isto labore, et precibus, et diligentia, et animi alacritate, et dilectione, nos juvate, ut et nos vestra, et vos vicissim nostra gloriatio sitis.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lect. VII.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papae.

Ex Hom. 9. in Evang. circa fin.

Sciendum vero est, quod nullus ab hac talenti acceptione securus est: Nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minime accepi, non est, unde rationem ponere cogar: talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam praedicationis: ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit: rogationem talenti debet ex rebus. Alius didicit artem, qua pascitur: ipsa ars ei in talenti acceptione reputatur. Alius familiaritatis locum apud divitem meruit: talentum profecto familiaritatis accepit. Si ergo nihil pro indulgentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.

Lect. VIII.

Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus Judex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit, cum timore penset quotidie quid accepit. Ecce namque jam juxta est, ut ille, qui peregre profectus est, redeat. Quasi quippe peregre abiit, qui scilicet de hac terra, in qua natus est, longe discessit. Sed profecto revertitur, ut de talentis rationes ponat: quia, si a bona actione torpescimus, de ipsis donis, quae contulit, nos districtius judicat.

Lect. IX.

Consideremus igitur quae accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spirituali opere terrena cura impediat, ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger enim servus, cum jam culpas Judex examinet, talentum de terra levat: quia sunt plerique, qui tunc se a terrenis desideriis, vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem Judicis ad aeternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, ut, cum jam Judex ad feriendum imminet, lucrum nos, quod fecimus, excuset.

Die 27. Novembris.

In festo S. Felicitatis

Martyris Duplex.

Offic. de comm. Mart. non Virg. praet. seq.

Oratio.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus, ut beatae Felicitatis Martyris tuae solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur et precibus. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Felicitas illustris vidua Romana sub Antonino Principe sanctitate floruit. Quod christiana esset, ad Publii Praefecti tribunal defertur. Ibi neque blanditiis, nec minis moveri potuit ut ad nefarios deorum cultores transiret. Filios ergo cum ad crudelissima quaeque tormenta hortaretur, eam lictores colaphis caedunt. Nihilominus, accersitis a Praefecto seorsim filiis, eos in hoc admodum esse intellexit, ut constanti animo mortem potius subire vellent quam Christum relinquere. Quod quidem paulo post optimae ipsius parentis monitis fortiter praestiterunt. Quarto autem ab hinc mense et ipsa securi percussa, illustre martyrii testimonium praebuit. Horum corpora tumulari vetuit Publius, et bestiis avibusque devoranda relinqui jussit. At non sine divino favente consilio factum est, ut nulla seu volucrum, seu ferarum accesserit. Tantus denique odor inde manavit, ut tota civitas, et vicinia, nova fragrantia permota, in hac re quid divini esse intellexerit.

Lect. V.

Christiani autem noctu venientes, sanctae parentis, ac filiorum corpora recenti sanguine madita abstulerunt, atque optimo loco pretiotissimis linteis involuta condiderunt. Ad horum tumulum innumera patrata sunt miracula; nam caeci visum, claudi gressum, atque aegroti sanitatem impetrarunt. Demum cum tractu temporis idem tumulus esset neglectus, Sicardi christianissimi Longobardorum Principis ope, Gregorii quarti Romani Pontificis, et Ursi Beneventani Episcopi auctoritate, anno noni saeculi nono et trigesimo, eorum corpora Beneventum translata, in majori templo honorificentissime condita fuerunt. Sancti Silvani autem corporis partem maximam (is enim quartus filiorum erat) Sanctimonialibus Benedictinis Monasterii sancti Victorini datam legimus.

Lect. VI.

Sermo S. Gregorii Papae.

Ex Homil. 3. in Evang.

Beata Felicitas, cujus hodie natalitia celebramus, septem filios sic post se timuit vivos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos praemittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernae patriae praedicando roboravit, et parturivit spiritu, quos carne pepererat, ut praedicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Numquid ergo hanc feminam Martyrem dixerim? Sed plus quam Martyrem: quae septem pignoribus ad regnum praemissis, toties ante se mortuos trasmisit. Ad poenam prima venit, sed pervenit octava.

In III. Noct. Homil. in Evangelio.

Simile est regnum caelorum thesauro etc. *ut in eod. com.*

Capit. Horor. Confitebor, Liberasti, et Laudabit *de comm. Mart. non Virg.*

Die 28. Novembris.

In festo S. Mercurii Martyris.

Duplex.

Offic. de comm. un Mart. praet. prop. Hymn. ad Vesp. Matut. et Laud., et Ant. in utrisq. Vesp. ad Magnificat et Benedictus, sumunt. in festo Translat. ejusd. Sancti die 26. Augusti.

Oratio.

Deus, qui beatum Mercurium Martyrem tuum contra Persas viriliter dimicare fecisti, atque per eum jam mortuum Juliano apostatae mirabiliter mortem intulisti: concede propitius, et ejus intercessione certemus in terris, et gaudere cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Mercurius, Gordiani filius, genere Scytha, a parentibus Philopater, a commilitonibus vero Mercurius appellatus est. Cumque ob egregia facinora in bello adversus Persas perpetrata, a Decio imperatore honoribus auctus fuisset, Christiana postmodum religione imbutus, insignem de Peris victoriam reportavit. Verum apud Decium accusatus quod Christi fidem coleret, cum accersitus nec blanditiis, nec minis a sententia dimoveri potuisset, in Cappadocia, abscisso capite, nobibile certamem peregit anno partae salutis ducentesimo quinquagesimo quarto. Cujus corpus a civitate Quintodecimi Beneventum, Arachii secundi primi Principis pietate translatum, anno Domini septigentesimo sexagesimo octavo in celebri sanctae Sophiae templo honorifice conditum fuit. Quod exinde partim ad insigne Montis Virginis Ascetorium delatum est, et in praesens praecipuo cultu servatur.

Lect. V.

De hoc sancto Martyre illustre facinus memoriae traditum est. Cum enim Julianus apostata bellum Persis illaturus processisset, per Cappadociam transiens Basilium Caesareae Episcopum, et Cristianos cives conviciis affecit. Praeterea se eos in reditu perempturum comminatus fuit. Quare sanctus Episcopus sua cum plebe jejunans, summam Deiparentem conspicere meruit, beato Mercurio militi dudum sepulto praecipientem, ut immania Juliani scelera ulcisceretur. Quod et factum est. Nam fertur, apud Cresiphontem sagittam in Julianum ex incerto missam fuisse. Cumque vivus blasphemus haberetur Julianus, etiam extremo vitae spiritu manu sanguinem fundens, blasphemias effudit, dicens: Vicisti Galilee.

Lect. VI.

Serm. S. Ambrosii Episcopi: Tantus Christis testis etc. *quae habetur in festo S. Hermolai die 30. Julii.*

In III. Noct. Homil. in Evangel. Si quis vult post me venire *de com. 2. loco.*

Die 4. Decembris.

In festo S. Barbarae Virg. et Mart. *Duplex*

Omn. de comm. Virg. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

Deus, qui inter caetera potentiae tuae miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut qui beatae Barbarae Virginis et Martyris tuae natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Barbara virgo Nicomediensis ob insignem corporis elegantiam a Dioscoro patre nobilissimo viro in turrim inclusa, ab omnium oculis arcetur; ubi multa secum pie religioseque meditata, tanto amore christianae religionis exarsit ut non modo nuptias a patre oblatas respuerit, verum etiam se Christum colere professa, nefarium idolorum cultum magna libertate perstrinxit.


Lect. V.

Dioscorus ita filiae verbis excanduit, ut eam Praesidi Marciano, quod a proposito non desisteret; excruciandam tradiderit. Is illam primum blandiciis, praemiis propositis et honoribus, ad paternae superstitionis cultum est conatus adducere. Cum vero a fidei constantia nullis verberum illecebris deduci posset, omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur. Nervis enim bubalis gravissime caesa, in obscurissimum carcerem detruditur: ubi, etsi omni humana ope destituta, divinitus tamen curata est.

Lect. VI.

Quod ubi senserunt christianae fidei hostes, eo furoris atque dementiae progressi sunt, ut in eam et carceris maceratione, et lampadum adustione, et mammillarum praecisione suam omnem crudelitatem deprompserint. Neque tamen his contentus Dioscorus, paternae charitatis oblitus filiae sua manu caput amputare non dubitavit, cujus anima in coelum ad duplicem virginitatis, et martyrii palmam evolavit.

In III. Noct. Homil. in Evangel. Simile erit regnum coelorum decem Virginibus etc. ***ut in comm. Virg. in Brev.***



OFFICIA MOBILIA

FER. III. POST DOMINICAM SEPTUAGESIMÆ.



In festo Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti. *Dupl. maj.*

In I. Vesp.

Antiph. Venit Jesus etc. cum rel. de Laud. *Psalm.* Dixit Dominus *etc.* cum reliq. *de Dominica; et loco ult. Psal.* Laudate Dominum omnes gentes, *etc.*

Capitulum. *Matth.* 26.

Venit Jesus ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro; Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.

HYMNUS.

Aspice ut Verbum Patris a supernis
Sedibus, clemens et amore flagrans,
Perditis culpa genitis mederi
Pergit Adami.

Flebilem mundi miserans ruinam,
Et volens nostros reparare casus,
Orat, et prona veniam precatur
Fronte Magister.

Fluctuat secum tot acerba volvens:
Hunc, ait supplex, calicem doloris,
Mi Pater, transfer; tua sed voluntas,
Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Deficit languens Dominus: per artus
Sanguinis sudor fluit, atque guttis
Terra madescit.

At celer summo veniens Olimpo
Angelus Jesum recreat jacentem,
Corpori vires redeunt, novoque
Robore surgit.



Laus, honor Patri, genitaeque Proli
Cui datum nomen super omne nomen
Et Paracleto decus atque virtus,
Omne per aevum. Amen.

℣. Tristis est anima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnificat Antiph. Positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui, in horto, verbo et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula superanda: concede propitius, ut nos, orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis etc.

Ad Matutinum.

Invit. Christum Jesum in monte Olivarum orantem * Venite adoramus.

Psalm. Venite, exultemus etc.

Hymn. ut supr. in Vesp.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ante orationem praepara animam tuam; et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Psalmus 16.

Exaudi, Domine, justitiam meam:* intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat: * oculi tui videant aequitates

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis, * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexterae tuae custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me * a facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: * os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam, * et sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, praeveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: * et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo; * satiabor cum apparuerit gloria tua.

Antiph. Ante orationem praepara animam tuam: et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Antiph. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Psalmus 27.

Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me: * ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in locum.

Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum, * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini: * et in opera manuum ejus destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus: * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adjutor meus, et protector meus: * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae: * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae: * et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Antiph. Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari.

Antiph. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

Psalm. 141.

Voce mea ad Dominum clamavi; *

voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in cospectu ejus orationem meam; * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum, * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me; * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine; * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam;* quia humiliatus sum nimis.

Libera me a pesequentibus me;* quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo; * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Antiph. Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis.

℣. Tristis est anima mea.

℟. Usque ad mortem.

Lect. I.

De Libro Tobiae *Cap.* 12.

Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis, quam thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam, et vitam aeternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animae suae. Manifesto ergo vobis veritatem et non abscondam a vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.

℟. In omnibus gratias agite: * Sine intermissione orate.

℣. Haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis — Sine.

Lect. II.

De Epistola B. Jacobi Apostoli *Cap.* 5.

Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justa assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis: et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum oravit, et coelum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

℟. Cum stabitis ad orandum, * Dimittite, si quid habetis adversus aliquem.

℣. Ut et pater vester, qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra — Dimittite.

Lect. III.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Hebraeos *Cap.* 5.

Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum: Filius meus es tu: ego hodie genui te quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei didicit ex iis

quae passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

℟. Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

℣. Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine — Dominus — Gloria Patri etc. — Dominus.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Psalm. 42.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, * ab homine iniquo, et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Antiph. Cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in Synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Psalm. 63.

Exaudi, Deus orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium: * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum; * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmitate sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo; * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum; et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

Psalm. 120.

Levavi oculos meos in montes, * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: * neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua; * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum, * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Antiph. Factum est autem in illis diebus, exiit Jesus in montem orare et erat pernoctans in oratione Dei.

℣. Pater mi, si possibile est.

℟. Transeat a me calix iste.

Lect. V.

Ex Tractatu S. Cypriani Episcopi et Martyris.

De oratione Dominica.

Nec verbis tantum, sed et factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter, et deprecans quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secendens in solitudinem, et adorans. Et iterum: exivit in montem orare, et fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat, qui sine peccato erat; quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, et rogabat non pro se: (quid enim pro se innocens precaretur?) sed pro delictis nostris; sicut et ipse declarat, cum dicit ad Petrum: Ecce Satanas expetivit, ut vos vexaret quodomo triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus Patrem deprecatur, dicens: Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: * Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

℣. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos — Ego autem.

Lect. V.

Ex commentariis S. Anselmi Episcopi.

In Epist. ad Hebr. Cap. 5.

Sicut verus Pontifex obtulit preces; nam in Evangelio saepe legitur orasse, et maxime apud Lucam, qui Sacerdotis in eo descripsit personam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicationes fuerunt pro omnibus. Tota vita sua Patrem oravit de resurrectione carnis suae, ac de nostra salute: et instante jam passione obtulit supplicationes, idest humillimas et instantissimas orationes cum summa devotione cordis, et affectione, quando factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. Et has preces, supplicationesque obtulit, idest obviam tulit Patri per exauditionem sibi obvianti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum facere, idest resuscitare; ad eum quem scivit esse sufficientem, ut salvaret eum; idest immortalem et impassibilem faceret, eripiendo a morte, ut nec anima remaneret in inferno, nec caro putresceret in sepulcro.

℟. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: * Et donec propinquet, non consolabitur.

℣. Et non discedet, donec Altissimus aspiciat — Et donec.

Lect. VI.

Et obtulit has cum clamore valido, idest cum intentione piae devotionis vehementissima, et efficacissima, ut quando prolixius orabat, et etiam cum lacrymis; quia in illa prolixa oratione credendus est lacrymas effudisse, cum et guttae sanguinis pro sudore decurrerent ab ejus corpore, et exauditus est, quia, quando quaesierat, accepit in resurrectione. Exauditus est, idest extra numerum aliorum omnium auditus est, quoniam super omnem creaturam post laboris sui militiam a Patre sublimatus est, et hoc pro sui reverentia, idest, secundum hoc, quod ipse, sicut Dei Filius, dignus est reverentia, et veneratione. Vel pro sua reverentia in Deum, idest propter quod ipse super omnia Patrem reveritus est, et honoravit. Sive pro sua reverentia, idest, sicut sua religio meruit. Sanguinis quoque ejus effusio potest intelligi clamor validus, in quo exauditus est pro reverentia ejusdem Passionis. Reverentia est quod sine peccato passus est pro sola charitate.

℟. Fiant aures tuae auscultantes, et oculi tui aperti, * Ut audias orationem servi tui.

℣. Quam ego oro coram te hodie, nocte ac die — Ut audias — Gloria Patri — Ut audias.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Tribulatio, et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine; salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Tribulatio et angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Psalm. 12.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? * Usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam consilia in anima mea; * dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus super me? * respice, et exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: * ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero: * ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: * et psallam nomini Domini Altissimi.

Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

Antip. Adhaesit pavimento ani-

ma mea: vivifica me secundum verbum tuum.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos in duxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum; et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te, Domine, clamavi, * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam: * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum: * et notos meos a miseria.

Antiph. Adhaesit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

Lect. VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Cap. 22.

In illo tempore: Egressus Jesus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Sequuti sunt autem illum et Discipuli. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Libr. 10. *Comment. in Luc.*

Cap. 22.

Transfer a me calicem hunc: quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam servans. Oportet enim mori nos saeculo, ut resurgamus Deo, ut juxta divinam sententiam lex maledictionis resoluta in terrae limum naturae fine solvatur. Quod autem ait: Non mea voluntas, sed tua fiat, suam ad hominem retulit, Patris ad Divinitatem. Voluntas enim hominis, temporalis: voluntas Divinitatis, aeterna. Non alia voluntas Patris, alia Filii. Una enim voluntas ubi una Divinitas. Disce tamen Deo esse subjectus, ut non quod ipse vis eligas, sed quod Deo scias esse placiturum.

℟. Veni in altitudinem maris, * Et tempestas demersit me.

℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam — Et tempestas.

Lect. VIII.

Deinde verborum ipsorum proprietatem consideremus. Tristis est, inquit, anima mea. Et alibi: Nunc

anima mea turbata est valde. Non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur. Anima enim obnoxia passionibus, Divinitas libera. Etenim spiritus promptus, caro autem infirma. Tristis autem est, non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione.

℣. Intret in conspectu tuo oratio mea: * Inclina aurem tuam ad precem meam.

℟. Quia repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit — Inclina — Gloria Patri — Inclina.

Lect. IX.

Denique ait: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Tristis erat, quia nos parvulos relinquebat. Caeterum quam constanter se morti obtulerit, connexa declarant: quandoquidem quaerentibus occurrit, turbatos confirmavit, trepidos provocavit, proditorem osculi dignatione suscepit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii poenas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem a me. Non quia Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos perire volebat. Te Deum. etc.

AD LAUDES.

Et per Horas. Antiph.

1. Venit Jesus cum discipulis suis in villam, quae dicitur Gethsemeni, et dixit illis: Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

2. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari, et maestus esse.

3. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum.

4. Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

5. Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Capitulum *Matth. c. 26.*

Venit Jesus ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

HYMNUS.

Venit e coelo Mediator alto,
Quem sacri dudum cecinere Vates.
Parce moerori, lacrymisque amaris,
Filia Sion.

Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodivit: novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Permanet orans.

Vindicem placat Genitoris iram,
Reprimit forti jacienda dextra
Fulmina: occurrit sceleri expiando
Sponte Redemptor.

Sic teret duros laqueos Averni;
Et diu clausam reserabit aulam,
Nos ad aeterna revocans beata
Gaudia regni.

Laus, honor Patri, genitaeque Proli,
Cui datum Nomen super omne nomen,
Et Paracleto decus, atque virtus
Omne per aevum. Amen.

Ad Benedictus.

Antiph. Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo, et exemplo nos orare docuisti ad tentationum pericula su-

peranda: concede propitius, ut nos orationi semper intenti, ejus copiosum fructum consequi mereamur. Qui vivis, et regnas etc.

AD PRIMAM.

Antiph. Venit Jesus.

Ad Lect. brev. Capit. Nonae.

AD TERTIAM.

Antiph. Et assumpto Petro.

Capitulum.

Venit Jesus, *ut ad Laudes.*

℟. *brev.* Tristis est * anima mea. Tristis.

℣. Usque ad mortem. Anima mea. Gloria Patri. Tristis est.

℣. Pater mi, si possibile est.

℟. Transeat a me calix iste.

AD SEXTAM.

Antiph. Tunc ait illis.

Capitulum.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

℟. *brev.* Pater mi, * si possibile est. Pater mi.

℣. Transeat a me calix iste. Si possibile est. Gloria Patri. Pater mi.

℣. Vigilate, et orate.

℟. Ut non intretis in tentationem.

AD NONAM.

Antiph. Pater mi.

Capitulum.

Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.

℟. *brev.* Vigilate, * et orate. Vigilate.

℣. Ut non intretis in tentationem. Et orate. Gloria Patri. Vigilate.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sanguinis.

In II. Vesp. omnia ut in primis; et loco ult. Psal. Credidi propter quod.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sanguinis.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

FERIA III. POST DOMINIC. SEXAGESIMÆ.

IN SOLEMNI COMMEMORATIONE DOMINICÆ PASSIONIS.

Dupl. 1. Class. cum Oct.

AD VESPERAS.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Psalm. 115.

Credidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: * pro omnibus quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Antiph. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.

Antiph. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

Psalm. 119.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, * et exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis, * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi * ad linguam dolosam?

Sagittae potentis acutae, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: * habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Antiph. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine.

Psalm. 139.

Eripe me, Domine, ab homine malo, * a viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde: * tota die constituebant praelia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis: * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris; * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos: * absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: * juxta iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: * exaudi Domine vocem deprecationis meae.

Domine, Domine virtus salutis meae: * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori: * cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos: * in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terra: * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis: * et vindictam pauperum.

Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo: * et habitabunt recti cum vultu tuo.

Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine.

Antiph. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Psalm. 141.

Domine, clamavi ad te, exaudi me: * intende voci meae, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo: * et ostium circumstantiae labiis meis.

Non declinet cor meum in verba malitiae: * ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: * et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me: * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum: * absorpti sunt juncti petrae judices eorum.

Audient verba mea quoniam potuerunt: * sicut crassitudo terrae erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum: * quia ad te Domine, Domine oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, * et a scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores: * singulariter sum ego donec transeam.

Antiph. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.

Antiph. Considerabam ad dexteram, et videbam et non erat qui cognosceret me.

Psalm. 141.

Voce mea ad Dominum clamavi:* voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam: * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, * dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam:* quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Antiph. Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.

Capitulum. *Phil.* 1.

Fratres, hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

HYMNUS.

Maerentes oculi spargite lacrymas,
Et luctu resonent intima cordium,
Illatas refero Numini ab impiis
Poenas et fera vulnera.

Accincta heu! gladiis turba satellitum,
Arreptum Dominum fustibus impetit,
Nunc caedit colaphis, nunc quatit horridis.
Divinum Caput ictibus.

Haud finis sceleri: traditur improbo
Christus carnifici; nec mora, barbaris
In Regem superum non timet, impio
Ausu, vertere dexteram.

Audite o Populi, Numem amabile,
Manante ex humeris, undique sanguine,
Lictoris rabidi sustinet impetum,
Et vocem premit innocens.

Quis non illacrimet! Jam nova condidit.
Tormenta indomitae gentis iniquitas,
Infigit cerebro; proh dolor! efferis
Sertum vepribus asperum.

Heu crimen! traditur funibus improbis:
Funesti Dominus supplicii ad locum,
Illic oppetiit funere spiritum
Patri restituens suo.

Passo pro miseris tam fera vulnera
In terris resonet debita gloria:
Sacrumque assidue Nomen in aethera
Humanum genus efferat. Am.

℣. Oblatus est. quia ipse voluit.
℟. Et livore ejus sanati sumus,

Ad Magnificat Ant.

O vos omnes, qui transitis per viam attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti; concede propitius, ut sicut solemnem commemorationem passionis ejus celebramus, ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum.

Ad Complet. et per Horas diei, ac etiam per tot. Octavam in fine Hymn. dicit.

Patri sit, ac Paraclyto,
Natoque Patris gloria,
Nostrae dedit qui prodigus
Pretium salutis sanguinem.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Christum Regem Crucifixum, * Venite adoremus.

HYMNUS.

Aspice, infami Deus ipse ligno
Pendet, effuso madidus cruore;
Aspice immiti manus alma clavo
Finditur alte.

Hunc, velut pravi sceleris ministrum,
Inter indignos medium latrones,
Cerne: crudelis fuit ista gentis
Dira voluntas.

Pallet heu! vultus; caput ecce lassum
Flectitur! clausis oculis, Redemptor
Spiritum, sacro meritis onustum,
Fundit ab ore.

O cor, aes durum superas, gemendo,
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stipiti affixit: tua culpa morti
Subdidit atrae.

Sit Deo aeternum decus omne in aevum,
Qui pius nostri generis Redemptor,
Criminis labem miseris nocentem
Sanguine tersit. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Psalm. 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum; * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis, irridedit eos, * et Dominus subsanabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi Gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tanquam vas figuli confriges eos.

Et nunc, Reges, intelligite: * erudimni, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehedite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Astiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me: multi insurgunt adversum me.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi, * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me, * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Multiplicati sunt qui tribulant me; multi insurgunt adversum me.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Psalm. 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * Laus Israel.

In te speraverunt Patres nostri; * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt; et salvi facti sunt; * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo; * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labiis et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae, in te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi, * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam; et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis, * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum; * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel; * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me;* et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna; * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qni requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum, * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet; * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura, et * annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Rom.

Lect. I. *Cap. V.*

Commendat charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus; multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Si enim, unius delicto, mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et justitiae accipientes, in vita regnabunt per Jesum Christum.

℣. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es mihi nimis amara; * Quia parasti Crucem Salvatori tuo.

℟. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te; responde mihi. — Quia parasti.

Lect. II.

Igitur, sicut per unius delictum in homines in condemnationem; sic et per unius justitiam, in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum: ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum; et ante te praeivi in columna nubis; * Et tu me tradidisti Principibus sacerdotum et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me tradidisti.

Lect. III.

Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit: qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per

baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis, per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitae ambulemus: si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus; simul et sesurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam vivemus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis; * Et tu me flagellatum tradidisti: * Qui tamquam Agnus coram tendente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi — Et tu me—Gloria Patri— Qui tamquam.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus?

Psalm. 40.

Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi Domine miserere mei;* sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixeruut mala mihi,* quando morietur, et peribit nomen ejus.

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur, * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei, * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * numquid qui dormit non adjiciet, ut resurgat?

Etenim homo pacis meae, in quo speravi, * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, * et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me, * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti, * et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum, * fiat, fiat.

Antiph. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, et peribit nomen ejus?

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Psalm. 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac; * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis, * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Antiph. Alieni insurrexerunt in me, et fortes quaesierunt animam meam.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Psalm. 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo; * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die, * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo; * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi; * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur* adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, et abscondent, * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi,quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua: * quae reddam laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Conculcaverunt me inimici mei tota die, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Lect. IV.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 41. Dom. in Palm. de Pass. Dom.

Admonet nos, Fratres charissimi, ad solemnitatem Dominicae Passionis dies ipse, in quo eam nec muta elementa tacuerunt. Celebret eam lux fidei linguis hominum, quam conclamaverunt etiam silentia tenebrarum. Dominus noster in statera Crucis pretium nostrae salutis appendit, et una morte universum mundum, sicut omnium conditor, ita omnium Reparator absolvit. Indubitanter enim credamus, quod totum mundum redemit, qui plus dedit, quam totus mundus valeret. Meritum enim redemptae mercedis dignitas insignis pretii supergressa est. Inter redemptum, et redimentem dispensatio fuit, compensatio non fuit. Qui ergo non habebat peccata propria, digne delevit aliena. Solus hic pia victima pro omnibus cecidit, ut omnes levaret, et quia debitum solus non habuit, recte foenus misericordiae pro debitoribus erogavit.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * Et tu dedisti capiti meo spineam coronam, et percussisti arundine caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu dedisti.

Lect. V.

Perpende inter haec, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem

a nobis sit exacturus usuram. In hac itaque die fides propheticae annunciationis impleta est ita dicentis: Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non averti a faeditate sputorum. Suscepit mala nostra, ut tribueret bona sua. Hinc intelligamus, quantum hominem diligere dignatus sit ante culpam, quem sic diligit post ruinam. Agnosce homo quantum valeas, et quantum debeas; et dum tantam redemptionis tuae perspicis dignitatem, ipse tibi indicito peccandi pudorem. Ecce pro impio pietas flagellatur; pro stulto sapientia illuditur; pro mendace veritas necatur; damnatur justitia pro iniquo; misericordia afficitur pro crudeli; pro misero repletur sinceritas aceto; inebriatur felle dulcedo; addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te; * Et tu me cecidisti alapis et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi — Et tu.

Lect. VI.

Expavit scelus hominum natura rerum, et quem creatura rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur, et coeli Regem sol fugiens confitetur. Clamyde coccinea induitur, quia sanguine martyrum suorum Ecclesiae corpus ornatur. Corona spinea capiti ejus imponitur, quia punctio peccatorum nostrorum, quorum remissione Redemptoris gloria struitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc e diverso, ut membrorum vita Capitis sit corona. Quod vero sitire se in Cruce positus dicit, fidem incredulae gentis concupiscit; sed e contra acetum malitiae porrigunt, quia vinum sapientiae, quod a Deo acceperant, peccando corruperant. Velum templi scinditur, quia Synagoga honore nudatur, observatio antiqua dissolvitur, Ecclesiae unitas praemonstratur. Monumenta aperiuntur, quia mortis jura, jure superantur.

℟. Ego exaltavi te magna virtute; * Et tu me suspendisti in patibulo crucis, * In qua expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu — Gloria Patri — In qua.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Psalm. 56.

Miserere mei Deus, miserere mei: * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo: * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum: * Deum, qui benefecit mihi.

Misit de coelo, et liberavit me; * dit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam: * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittae: * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super coelos Deus: * et super omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * et incurvaverunt animam meam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psal-

terium et cythara ; * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine : * psalmum dicam tibi in Gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super coelos Deus : * et super omnem terram gloria tua.

Antiph. Filii hominum dentes eorum arma et sagittae, et lingua eorum gladius acutus.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalm. 63.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor; * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium ; * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt ; * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos ; * dixerunt : Quis videbit eos ?

Scrutati sunt iniquitates : * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum, * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, * et infirmitae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo; * laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius : * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori : * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me : * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar ; * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te Domine tota die : * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia ; * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam ; * et veritatem tuam in perditione ?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis ?

Et ego ad te Domine clamavi, * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid Domine repellis orationem meam ; * avertis faciem tuam a me ?

Pauper sum ego; et in laboribus

a juventute mea; * exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum, * et notos meos a miseria.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio; inter mortuos liber.

℣. Factus est obediens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Hom. 84. in cap. 19. Joan. ant. med.

Sciens Jesus omnia consummata, ait: Sitio: Etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige; nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissime persequuti sunt, cum tamen interimi eos videmus, flectimur misericordia. Hi vero nil moti, magis efferantur, et irrident, acetumque in spongia porrigunt, ut bibat tamquam reus: Nam propter hoc hyssopum additur; quo gustato, mortuus est. Vides quam non perturbate, et quam potenter omnia transigentem? Quod et prosequens ostendit, cum enim omnia consummata essent, inclinato capite, quod affixum non erat, tradidit spiritum, hoc est inspiravit.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * Et tu me potasti felle et aceto.

℣. Populi meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu.

Lect. VIII.

Atqui non post inclinatum Caput expiratur, sed post expirationem caput inclinatur. Hic autem contra accidit, per quod ostendit eum Evangelista esse omnium Dominum. Judaei autem camelum devorantes, et calicem excolantes, tantum nefas ausi de die consultant: Quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura. Vides quanti sit veritas? Per ea, quae illi faciunt, prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, et aliorum fregerunt crura, non Christi; sed ad Judaeorum gratiam conciliandam latus ejus lancea aperuerunt et mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam!

℟. Ego ante te aperui mare: Et tu aperuisti lancea latus Salvatori tuo. * Qui redemit mundum in sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Qui redemit.

Lect. IX.

Noli tamen perturbari dilectissime, quae enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant. Prophetia hinc impleta est, inquiens, videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec et arcanum mysterium consummatum est, exivit enim sanguis et aqua; non casu, et simpliciter hi fontes scaturierunt: Sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati: per aquam enim regenerati, sanguine et carne nu-

trii. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Te Deum.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Antiph. Fui flagellatus tota die, et castigatio mea in matutinis.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliq. de Domin.*

Antiph. Veni ad montem myrrhae, et ad collem thuris: tanquam Agnus ad occisionem ductus, obmutui, et non aperui os meum.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. Consolantem me quaesivi, et non inveni: Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Antiph. Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est; et inclinato capite, emisit spiritum.

Capitulum.

Fratres, hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

HYMNUS.

Saevo dolorum turbine
Jactatur, atris obrutus
Poenis, acerba sustinens
Redemptor affixus Cruci.
Pedes, manusque horribili
Clavi cruentant vulnere,
Cor, vultus, artus pectora,
Sacro redundant sanguine.
Flet, orat, et clamans obiit;
Cor Matris ictum concidit:
Heu Mater! Heu Fili! dolor
Ingrata frangat pectora
Montes, sepulcra, saxaque
Scinduntur; arva, flumina,
Rupes, et aequor contremunt,
Templique velum scinditur
Sol, luna, coelum, sydera
Plangunt, et orbis ingemit:
O vos viri, vos parvuli,
Nuptae, puellae, plangite.
Adstate moerentes Cruci,
Pedes beatos ungite,
Lavate fletu, tergite
Comis, et ore lambite.
Tu charitatis victima,
Ut nostra tollos crimina,
Nobis salubri perficis
Adoptionem Sanguine.
Nostra ergo pax, et gaudium
Sis vita, Jesu, et praemium:
Sis ductor et lux in via;
Merces, corona in Patria Amen.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Benedictus Ant.

Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et crucem subire fecisti; concede propitius, ut sicut solemnem Commemorationem Passionis ejus celebramus, ita et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur: Qui pro nobis pati dignatus es. *Et sic per tot. oct.*

AD TERTIAM.

Antiph. Veni ad Montem myrrhae.

Capitulum. Fratres *ut supra.*

℞. *brev.* Oblatus est * quia ipse voluit. Oblatus.

℣. Et livore ejus sanati sumus — quia ipse voluit — Gloria Patri — Oblatus.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

AD SEXTAM.

Antiph. Foderunt manus meas.

Capitulum. *Zach.* 13. 6. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℟. *brev.* Proprio Filio suo * Non pepercit Deus — Proprio Filio.

℣. Sed pro nobis omnibus tradidit illum — Non pepercit Deus — Gloria Patri. Proprio Filio.

℣. Factus est obebiens usque ad mortem.

℟. Mortem autem Crucis.

AD NONAM.

Antiph. Cum accepisset Jesus.

Capitulum *Isai.* 53. Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium; propter scelus populi mei percussi eum.

℞. Factus est obediens : * usque ad mortem — Factus est.

℣. Mortem autem Crucis — Usque ad mortem — Gloria Patri — Factus est.

℣. Ipse vulneratus est propter initates nostras.

℞. Et attritus est propter scelera nostra.

In II. Vesp. omn. ut in primis praet. sequ.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℞. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnificant Ant.

Depones Joseph Corpus Jesu involvit Syndone, et posuit eum in monumento exciso: fuit planctus magnus in illa die : Mulieres autem sedentes contra sepulcrum dolebant, sicut doleri solet in morte primogeniti.

MISSA

Humiliavit semetipsum; *ut in Missa votiva de Passione in fine Messal., excepta prima oratione, quae sumi potest in Domin. Palmarum.*

DE II. DIE OCTAVÆ.

Ad Benedictus. Antiph.

Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Et attritus est propter scelera nostra.

Ad Magnificat Antiph.

Traditor autem dedit eis signum dicens: Quem osculatus fuero, ipse est: tenete eum, et ducite caute.

℣. Ipse vulneratus est etc.

℞. Et attritus est etc.

DE III. DIE OCTAVÆ.

seu Fer. V.

Ad Benedictus Antiph.

Ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum.

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℞. Et attritus est *etc.*

Ad Magnificat Antiph.

Unus assistens Ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici?

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

DE IV. DIE OCTAVÆ.

seu Fer. VI.

Ad Benedictus. Antiph.

Veniebant milites ad Jesum, et

dicebant: Ave Rex Judaeorum: et dabant ei alapas.

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

Ad Magnificat Antiph.

Exivit Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum; quem cum vidissent Pontifices, et Ministri eorum, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

DE V. DIE OCTAVÆ.

seu Sabbato.

Ad Benedictus Antiph.

Bajulans Jesus sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, ubi crucifixerunt eum, et cum eo latrones duos, unum a dextris, et alterum a sinistris.

℣. Ipse vulneratus *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

Ad Magnificat Antiph.

Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus; hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

DE VI. DIE INFRA OCTAVAM.

sive Domin. in Quinquag.

Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

Ad Magnificat. Antiph.

Cum vidisset Jesus Matrem, et Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus: Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua.

℣. Ipse vulneratus est *etc.*

℟. Et attritus est *etc.*

DE VII. DIE INFRA OCTAVAM.

sive Fer. II. post Domin. Quinquag.

Ad Benedictus. Antiph.

Clamans voce magna Jesus, ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et haec dicens, expiravit.

Ad Magnificat.

In I. Vesperis Octavae omnia dicuntur ut in I. Vesp. Festi, excepta Oratione, ut sequitur.

Oratio

Effunde super nos, quaesumus omnipotens Deus, spiritum gratiae, et precum, ut Unigeniti Filii tui Passionem pio devotionis affectu jugiter recolere, et in populi tui corde, monitis et exemplo imprimere valeamus. Per eundem Dominum nostrum.

IN DIE OCTAVA

Dominicae Passionis

Duplex.

Omnia dicuntur ut in die Festi, exceptis Lectionibus, quae sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lect. I. Cap. I.

Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, et Bytiniae secundum praescientiam Dei Patris in sanctificationem spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur, scientes, quod non corruptilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati: praecogniti quidem ante mundi constitutionem; manifestati autem novissimis temporibus propter vos, qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi, dicit Dominus, et tu facta es

mihi nimis amara; * quia parasti crucem Salvatori tuo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Quia parasti.

Lect. II.

In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus, cujus livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.

℟. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et ante te praeivi in columna nubis; * et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum, et me duxisti ad Praetorium Pilati.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi — Et tu me tradidisti.

Lect. III.

Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo mortificatus quidem carne, vivificatus tamen spiritu, in quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit. Qui increduli fuerant aliquando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, idest octo animae, salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos fecit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae haeredes efficeremur.

℟. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis: * et tu me flagellatum tradidisti, * qui tanquam Agnus coram tondente se obmutui, et non aperui os meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu — Gloria Patri — Qui tanquam Agnus.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Leonis Papae.

Serm. 4. de Pass. Dom. post. med.

Lect. IV.

Exaltato, delectissimi, per Crucem Christo, non illa tantum species aspectui mentis occurrat, quae fuit in oculis impiorum; quibus per Moysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, et timebis die ac nocte, et non credes vitae tuae. Isti enim nihil in crucifixo Domino, praeter facinus suum cogitare potuerunt, habentes timorem, non quo fides vera justificatur, sed quo conscientia iniqua torquetur. Noster vero intellectus, quem spiritus veritatis illuminat, gloriam crucis coelo, terraque radiantem puro, ac libero corde suscipiat, et interiore acie videat quale sit, quod Dominus cum de Passionis suae loqueretur instantia, dixit: Nunc judicium mundi est; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

℟. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et dedi tibi sceptrum regale; * et tu dedisti capiti meo spineam coronam, et percussisti arundine caput meum.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu dedisti.

Lect. V.

O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria Passionis, in qua et tribunal Domini, et judicium mundi, et potestas est Crucifixi! Traxisti enim, Domine, omnia ad te, et cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem, et contradicentem tibi, confitendae majestatis tuae sensum totus mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris, unam protulerunt omnia elementa sententiam, cum, obscuratis luminaribus coeli, et converso in noctem die, terra quoque montibus quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se negaret. Traxisti, Domine, omnia ad te, quoniam scisso templi velo Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, et lex in Evangelium verteretur.

℟. Ego duxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, * et tu me caecidisti alapis et flagellis.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me.

Lect. VI.

Traxisti, Domine, omnia ad te, ut quod in uno Judaeae templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno, apertoque Sacramento, universarum ubique nationum devotio celebraret. Nunc etenim, et dignitas amplior seniorum, et sacratior est unctio Sacerdotum, quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Nunc etiam, carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis tui implet oblatio; quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Et ita in te universa perficis mysteria, ut sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita unum de omni gente sit regnum.

℟. Ego exaltavi te magna virtute: * Et tu me suspendisti in patibulo crucis, * In qua expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me — Gloria Patri — In qua expandi.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap.* 19.

Lect. VII.

In illo tempore sciens Jesus, quia omnia consumata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedae Presbyteri.

*Lib.*6. *in Evang. Luc. cap.*23.

Patrem invocando Filium Dei se esse Christus declarat. Spiritum vero commendando, non defectum suae virtutis, sed confidentiam ejusdem cum patre potestatis insinuat. Amat enim dare gloriam Patri, ut nos aedificet dare gloriam Creatori. Commendat itaque Patri spiritum juxta hoc, quod delectato corde, et exultantibus spe resurgendi labiis in alio psalmo loquitur: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

℟. Ego te potavi aqua salutis de petra: * et tu me potasti felle, et aceto.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu me potasti.

Lect. VIII.

Quia ergo sexta die homo factus, et tota mundi est creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit: unde et hanc Sabbatum, idest requiem, vocari praecepit; recte Dominus eadem die sexta crucifixus, humanae reparationis implevit arcanum. Unde cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est; idest sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, totum est opus perfectum. Sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum.

℟. Ego ante te aperui mare: * et tu aperuisti lancea latus Salvatori tuo: * Qui redemit mundum in sanguine suo.

℣. Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? responde mihi — Et tu aperuisti — Gloria Patri — Qui redemit mundum.

Lect. IX.

Ubi nostrae simul devotionis praelucet exemplum, quos in hac quidem sexta mundi aetate pro Domino pati, et velut mundo crucifigi necesse est. In septima vero aetate, idest cum lethi quis debitum solvit corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum Domino manere, et post bona oportet opera quiescere, donec octava tandem veniente aetate, etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus simul incorruptionem aeternae haereditatis accipiant. Te Deum.

Reliqua ut in festo.

Feria VI. post Cineres.

In festo SACR. CORONÆ SPINARUM D.N.J.C. *Duplex Majus.*

Ad Vesperas.

Antiph. Milites Praesidis, *cum rel. de Laud., ut infra.*

Psalm. Dixit Dominus *cum reliq. de Domin.; et loco ultimi,* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Cant. 3.

Egredimini, et videte, filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

In utrisque Vesperis.

HYMNUS.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.
O Crux ave spes unica,
Hoc Passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen

℣. Tuam coronam spineam adoramus Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Ad Magnificat. Antiph.

Apprehendit Pilatus Jesum, et fla-

gellavit. Et Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.

Oratio.

Praesta, quesumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso gloria et honore coronari mereamur in coelis. Qui tecum vivit, et regnat.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Summum Regem gloriae Christum pro nobis Spinis coronatum: * Venite adoremus.

Psalm. Venite, exultemus Domino.

HYMNUS.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis;
Et super Crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De Parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat
Multiformis proditoris
Ars, ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor;
Atque ventre Virginali
Carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.

Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria;
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Maledicta terra in opere tuo: Spinas et tribulos germinabit tibi.

Psalm. 1.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit: * et in cathedra pestilentiae non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus,* et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet: * et omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.

Ideo non resurgent impii in judicio: * neque peccatores in consilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * et iter impiorum peribit.

Antiph. Maledicta terra in opere tuo: Spinas et tribulos germinabit tibi.

Antiph. Ait Jesus discipulis suis: Filius hominis tradetur, et damnabunt eum morte, et illudent ei, et conspuent eum.

Psalm. 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania.

Astiterunt Reges terrae, et principes convenerunt in unum: * ad-

versus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis irridebit eos,* et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua,* et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me : * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea; * et tanquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus; * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Ait Jesus discipulis suis: Filius hominis tradetur, et damnabunt eum morte, et illudent ei, et conspuent eum.

Antiph. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram: ibi morieris, et ibi erit currus gloriae tuae.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae : * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi; * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus : * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Coronans coronabit te tribulatione; quasi pilam mittet te in terram : ibi erit currus gloriae tuae.

℣. Tuam coronam spineam adoramus Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

De Isaia Propheta. *Cap.* 53.

Lect. I.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini, cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum. Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, et despectus; unde nec reputavimus eum.

℟. Ecce vidimus eum non habentem faciem, neque decorem : aspectus ejus in eo non est : hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: * Cujus livore sanati sumus.

℣. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit — Cujus.

Lect. II.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi

leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum; et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℟. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? * Et dicet; His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi — Et dicet.

De Zacharia Propheta, *Cap.* 12. *et* 13. *Lect. III.*

Et erit in die illa: quaeram conterere omnes gentes, quae veniunt contra Jerusalem. Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiae et precum; et aspicient ad me, quem confixerunt; et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem: Et dicetur eis: quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos.

℟. Tuam coronam spineam veneramur Domine; tuam gloriosam recolimus passionem. * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam — Miserere — Gloria Patri—Miserere.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Pro frumento ortus est mihi tribulus; et pro hordeo spina.

Psalm. 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: * multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui: * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam et requiescam.

Quoniam tu Domine, singulariter in spe: * constituisti me.

Antiph. Pro frumento ortus est mihi tribulus, et pro hordeo spina.

Antiph. Egredimini, et videte filiae Sion Dominum Jesum Christum in diademate, quo coronavit illum Synagoga mater sua.

Psalm. 5.

Verba mea auribus percipe Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meae, * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine mane exaudies vocem meam.

Mane adstabo tibi, et videbo; * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum, et dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiae tuae.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant:* judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus suis secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te Domine.

Et laetentur omnes, qui sperant in te: * in aeternum exultabunt, et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine ut scuto bonae voluntatis tuae: coronasti nos.

Antiph. Egredimini, et videte filiae Sion Dominum Jesum Christum in diademate, quo coronavit illum Synagoga mater sua.

Antiph. Vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus: unde nec reputavimus eum.

Psalm. 8.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificientia tua * super coelos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli, et pisces maris: * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Antiph. Vidimus eum, et non erat aspectus, et quasi absconditus vultus ejus; unde nec reputavimus eum.

℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus.

℟. Et ab insurgentibus in me libera me.

De Homilia S. Athanasii Episcopi in Passionem Domini. *Tom.* 3.

Lect. IV.

Cum exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de diabolo trophaeum: et quo illud manifestum fieret, narratur a Joanne, indutum fuisse purpura: a Matthaeo vero et Marco, clamyde coccinea. Coronamque illi ex spinis super caput esse positam, et calamum in manus datum; et ita cum eum produxissent genibus flexis adorasse. Miraculum novum, et incredibile, et magnae sine dubio victoriae insigne: quem enim ut hominem condemnaverunt, eum mortu-

tum deinde, ut Deum adoraverunt: et quem aspernabantur ut vilem et contemptibilem, eum confitebantur Regem: cui tunicam et vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt; et quem ignorantes contumeliis afficiebant, eum Prophetam, etiam nolentes, appellaverunt: et quem per ludibrium, subsannationemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam clamydem, et coronam spineam, et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen inde, ut ab eo latenter spoliarentur.

℟. Insurrexerunt in me viri iniqui; absque misericordia quaesierunt me interficere; et non pepercerunt in faciem meam spuere; et lanceis suis vulneraverunt me; et concussa sunt omnia ossa mea: * Ego autem existimabam me tamquam mortuum super terram.

℣. Effuderunt furorem suum in me; fremuerunt contra me dentibus suis — Ego autem.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Sermo 72. de S. Cypriano.

Lect. V.

Videamus diligenter ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva sed fellis; ne dicatur nobis quod Judaeis dictum est per Prophetam: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas, et non justitiam, sed clamorem. Quam dura conditio, ut possessio, quae Domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerint: hoc est, cum Judaei Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere, spinarum eum coronaverunt passione. Quae corona quidem, quantum in Judaeis est, erat injuriarum contumelia; quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptura sancta: Videbunt in quem compunxerunt.

℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, et praevaluerunt insidiantes mihi: tradidit me quem diligebam. * Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, subsannabant mihi.

℣. Inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animae meae. — Et terribilibus.

Lect. VI.

Igitur, fratres, videte ne et nobis dicatur: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas: hoc est, ne spinas, quas Domino Judaei cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus, et compungamus eum non asperitate sensuum, sed operum pravitate. Sunt enim spinae cordis, quae verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator, dicens: Seminantis semen cecidisse inter spinas, et crevisse eas, ac suffocasse quod satum est. Ergo fratres videte, ne vinea vestra non uvas, sed spinas faciat; ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, et pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, et indigentibus non ministrat, iste non alimoniae fructus reposuit, sed tribulos avaritiae congregavit. Nam propterea ait Scriptura de terra nostra: Spinas et tribulos germinabit tibi.

℟. Vinea mea electa, ego te plantavi. * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me spinis coronares.

℣. Sepivi te, et lapides elegi ex te, et aedificavi turrim — Quomodo — Gloria Patri — Quomodo.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Psalm. 95.

Cantate Domino canticum novum:* cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii gentium daemonia: * Dominus autem coelos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem:* afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra; commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrae in aequitate, * et populos in veritate sua.

Antiph. Gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Antiph. Christus Jesus splendor Patris, et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, spinis coronatus apparere dignatus est.

Psalm. 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * laetentur insulae multae.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt coeli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et laetata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judae, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum; de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetitia.

Laetamini justi in Domino: * et confitemini memoriae sanctificationis ejus.

Antiph. Christus Jesus, splendor Patris, et figura substantiae ejus, portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, spinis coronatus apparere dignatus est.

Antiph. Populе meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? re-

sponde mihi: Tu imposuisti coronam spineam capiti meo, et arundine percussisti.

C *Psalm.* 97.
Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae,* et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae: * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terrae: * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus et voce tubae corneae.

Jubilate in cospectu Regis Domini; * moveatur mare, et plenitudo ejus: orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate.

Antiph. Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui? responde mihi. Tu imposuisti coronam spineam capiti meo, et arundine percussisti.

℣. Deus meus eripe me de manu peccatoris.

℟. Et de manu contra legem agentis, et iniqui.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

I *Lect. VII.* *Cap.* 19.
In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit: Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

H *Tract.* 116 *in Joann.*
Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judaei satiati, sufficere sibi existimarent; et usque ad ejus mortem saevire desisterent. Ad hoc pertinet, quod idem Praeses cohortem suam etiam permisit facere quae sequuntur, aut fortasse et jussit; quamvis hoc Evangelista tacuerit: dixit enim quid deinde fecerint milites: Pilatum tamen id jussisse non dixit, et milites, inquit, plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum; et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum; et dabant ei alapas. Sic implebantur, quae de se praedixerat Christus.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℣. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur — Qui peccatum.

S *Lect. VIII.*
Sic Martyres informabantur ad omnia, quae persecutori libuisset facere, perferenda · sic paulisper occulta tremenda potentia commendabatur prius imitanda patientia. Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum, non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabile pullularet in gloria. Exiit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum et dicit eis Pilatus: Ecce Homo. Hic apparet, non ignorante Pilato haec a militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit, illa scilicet causa, quam

supra diximus, ut haec ejus ludibria inimici libentissime biberent, et ulterius Sanguinem non siterent: Egreditur ad eos Jesus portans spineam coronam, et purpureum vestimentum non clarus imperio, sed plenus opprobrio, et dicit eis: Ecce Homo. Si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. Flagellatus est, spinis coronatus, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis caesus est: Fervet ignominia, frigescat invidia: sed non frigescit, inardescit potius, et increscit.

℟. Milites Praesidis suscipientes Jesum in Praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei; * et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus.

℣. Genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judaeorum — Et plectentes — Gloria Patri — Et plectentes.

Nona lectio erit de Homil Feriae.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Antiph. Milites Praesidis suscipientes Jesum in Praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliquis de Domin.*

Antiph. Et exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei.

Antiph. Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

Antiph. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judaeorum.

Antiph. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

Capitulum. Cant. 3.

Egredimini, et videte, filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

HYMNUS.

Lustra sex qui jam peregit,
Tempus implens corporis,
Sponte libera Redemptor,
Passioni deditus,
Agnus in Crucis levatur,
Immolandus stipite.

Felle potus ecce languet:
Spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt,
Unda manat, et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus
Quo lavantur flumine!

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis.
Sylva tamen nulla profer
Fronde, flore, germine:
Dulce ferrum, dulce lignum,
Dulce pondus sustinet.

Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas;
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.

Sola digna tu fusti
Ferre mundi victimam,
Atque portum praeparare
Arca mundo naufrago,
Quam sacer cruor perunxit,
Fusus Agni corpore.

Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria;
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius, Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Avertantur retrorsum, et erubescant.

℟. Qui cogitant mihi mala.

Ad Benedictus Antiph.

Milites induunt Jesum purpura, et imponunt ei plectentes spineam co-

ronam, et coeperunt salutare eum: Ave Rex Judaeorum.

Fit comm. Feriae. Oratio ut supra

AD PRIMAM.

In ℟. *brevi*. ℣. Qui passus es pro homine.

AD TERTIAM.

Antiph. Et exeuntes eum.

Capit. Egredimini, *ut in Laud.*

℟. Tuam Coronam spineam * adoramus Domine — Tuam Coronam spineam.

℣. Tuam gloriosam recolimus Passionem — Adoramus — Gloria Patri — tuam Coronam.

℣. Miserere nostri, Domine.

℟. Qui passus es pro nobis.

AD SEXTAM.

Antiph. Et plectentes Coronam.

Capitulum. *Isai.* 53.

Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et quasi absconditus vultus ejus; unde nec reputavimus eum.

℟. *breve.* Miserere nostri, * Domine — Miserere nostri Domine.

℣. Qui passus es pro nobis — Domine — Gloria Patri — Miserere.

℣. Tibi, gloria, tibi triumphus et victoria.

℟. Tibi summae laudis, et honoris Corona.

AD NONAM.

Antiph. Et expuentes, in eum.

Capitulum. Joan. 10.

Exivit Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis Pilatus: Ecce Homo.

℟. *breve.* Tibi gloria,* tibi triumphus, et victoria — Tibi gloria.

℣. Tibi summae laudis, et honoris corona — Tibi triumphus — Gloria Patri — Tibi gloria.

℣. Tuam coronam spineam veneramur Domine.

℟. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

In II. Vesp. omnia ut in primis, cum comm. Feriae.

Ad Magnificat. Antiph.

O coronae miranda dignitas! mortis poenas debitas repellis: tu spes lapsis, firmitas infirmis; tu restauras coronas perditas.

Feria VI. post. Dom. I. Quadrag.

In festo Clavorum et Lanceae D.N.J.C. *Duplex Majus.*

In I. Vesperis. Antiph.

Hasta Regem gloriae *etc. cum reliq. de Laud. ut infra. Psalm.* Dixit Dominus *cum reliq. de Domin.*; *et loco ultimi Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Sap.5.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile, aequitatem: acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

HYMNUS.

Pange lingua gloriosae
Lanceae praeconium,
Quae reclusit pretiosae
Cataractae fluvium,
Passo Christo dolorose
Pro salute Gentium.

Hasta gazis praeoptata,
Mundi pandit pretium,
Cordis tactu praeparata
Fit sagitta fortium,
Arma Clavi sunt beata
Contra vires demonum.

Dulcis Hasta Dei latus
Spoliasti sanguine:
Dulces clavi, qui reatus
Expurgastis flumine;
Ut sit mundus mundatus,
Et sanatus vulnere.

Hasta fulcit viatores,
Et timentes animat,

Et ostenso bellatores
Cordis succo roborat,
Clavus firmat, et dat rores,
Pusillosque recreat.
Jesu victor inferorum,
Qui triumphas Lancea;
Et virtute qui Clavorum
Restaurasti omnia:
Fac, ut horum nos armorum
Muniant praesidia. Amen.

℣. Accipiet armaturam zelus illius.
℟. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

Ad Magnificat. Antiph.

Gaude pia plebs justorum, omne genus Christianorum, tantis de muneribus; nam primordia salutis tibi dedit Rex virtutis, suis de vulneribus; Clavos, Lanceam, et Crucem; ut sequaris Christum Ducem.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius, ut qui eorumdem Clavorum et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Ad Matut. Invitat. Coelestis Regis Lanceam venite adoremus. * Et pro Clavis ejus, Christo jubilemus.

Psalm. Venite adoremus etc.

HYMNUS.

Sacris solemniis sonent praeconia,
Armorum Domini, per quae victoria
Venit Christicolis: sint in memoria
Crux, et Clavi, et Lancea.
Crux apud inferos spoliat tartara,
Lancea superis tribuit praemia,
Clavi consociant coelos, et infima,
Fletum mutant laetitia.
Clavus dum figitur in Dei manibus,
Et dum demergitur in sacris pedibus
Hasta dum fodicat latus, hominibus
Manat gratiae fluvius.
Lancea saeviens in Dei pectore,
Et inde proferens aquam cum sanguine,
Mundum laetificat impetus flumine,
Omnes ad aquas currite.
Te, summa Deitas, coelum magnificat,
Ordo Seraphicus laudibus insonat
His noster pariter coetus se misceat,
Et in saecula te canat. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Exaltatur Crucis lignum: dum Christus occubuit lanceatus, a maligno hoste nos eripuit.

Psalm. Beatus vir, *ut in praec. festo Sacr. Coron. Spinarum.*

Antiph. Videte gloriosa loca clavorum, et latus meum lancea perforatum pro salute mundi.

Psalm. Quare fremuerunt.

Antiph. Latus ejus aperuit, patefecit ostium vitae, ingrediamur illud.

Psalm. Domine, quid multiplicati.

℣. Tuam Lanceam adoramus, Domine.

℟. Tuam gloriosam passionem recolimus.

De libro II. Paralipomenon. *Cap.* 9.

Lect. I.

Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea Rex in armamentario, quod erat consitum nemore.

℟. Videte gloriosa loca Clavorum, et latus meum lancea perforatum pro salute mundi. * Palpate, et videte, quia ego ipse sum.

℣. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit — Palpate.

De Libro Sapientiae. *Cap.* 25.

Lect. II.

Et accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum. Sumet scutum inexpugnabile aequitatem. Acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

℟. Latus ejus aperuit: * patefecit ostium vitae.

℣. Ingrediamur illud — Patefecit.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap.* 6.

Lect. III.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates; adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo; et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei.

℟. Inter Clavos * Christus in Cruce separatus est.

℣. Et in sancta resurrectione mundus in ejus laudibus vigilavit — Christus—Gloria Patri — Christus,

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Tuam lanceam adoramus, Domine: et tuam gloriosam passionem recolimus.

Psalm. Cum invocarem.

Antiph. Dulces Christi Clavi pungite corda nostra.

Psalm. Verba mea.

Antiph. Christus pro nobis Clavis fossus in palmis, atque pedibus.

Psalm. Domine, Dominus noster.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

Sermo Innocentii Papae Sexti.

In decreto de Fest. Lanc. et Clav. Dom.

Lect. IV.

In Redemptoris nostri Domini Jesu Christi sacratissima Passione sic nos gloriari oportet, ut ipsius Passionis cuncta mysteria dinumerantes et merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriemur. Inter quae illud celebriter memorandum est, quod ipse Salvator emisso in Cruce jam spiritu, sustinuit perforari lancea latus suum, ut inde sanguinis et aquae profluentibus undis, formaretur unica et immaculata, ac virgo Sancta Mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris apertura, unde nobis tot, et tanta divinae pietatis dona fluxerunt! O felix lancea, quae tot bona nobis efficere, et ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi!

℟. Surge virgo Ecclesia, Sponso redde munia tui Clavi gratia imprimunt vestigia, per quae ruit infernalis Sisara: * Nam clavum Jahel malleo fixit in ejus tempora.

℣. Dulces Clavi pungite corda nostra — Nam clavum.

Lect. V.

Haec latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis regni coelestis aperuit. Haec vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit et salutem. Haec innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit:

et demum ejusdem sacratissimis undis irrigata, caecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos ipsius divinae pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi sanguine, et molem ferre tanti ponderis meruerunt, sed et nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius divinae charitatis accepimus, ut manus nostrae a peccati solutae nexibus, pedesque nostri a mortis laqueis fuerint liberati, sunt devotissime recolendi.

℟. Hasta nitet * Margaritis nimis coruscantibus.

℣. Mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus — Margaritis.

Lect. VI.

Quid enim vulnere, et plagis hujusmodi sanctius? Quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, et in quibus assidue se possunt curare animae devotorum? Licet igitur Lancea et Clavi praedicti, aliaque ipsius passionis salutaria instrumenta, sint a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de ipsa etiam passione in eodem Ecclesia sollemnia annis singulis officia celebrentur, et fiant; dignum tamen et conveniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, et praesertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale festum celebretur, et fiat. Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione, divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

℟. Jesu, nostra spes * Suavis ab uberibus.

℣. Pro nobis fossus clavis in palmis, atque pedibus — Suavis — Gloria Patri — Suavis.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Tu, Christe, nostrum gaudium, de lacerato latere da oris mellicidium ardenti corde sugere.

Psalm. Cantate Domino canticum.

Antiph. Vibrans miles Lanceam acutissimam, aperuit templum sanctum gloriae Dei.

Psalm. Dominus regnavit.

Antiph. Tuam lanceam adoramus, tuam gloriosam recolimus passionem.

Psalm. Cantate Domino canticum.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII.

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. *in Joan.*

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit; ut illud quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutaris temperat poculum, haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noe in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

℟. Vibrans miles Lanceam acu-

tissimam, aperuit templum sanctum gloriae Dei: * In quo habitat plenitudo Divinitatis.

℣. Ibi abscondita est fortitudo ejus; ante faciem ejus ibit mors — In quo.

Lect VIII.

Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum, magnumque signavit bonum ante magnum praevaricationis malum, et secundum Adam inclinato capite in Cruce dormivit; ut inde formaretur ei Conjux, quae de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius? Facta sunt enim haec inquit, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

℣. Tuam Lanceam adoramus, Domine: * Tuam gloriosam recolimus passionem.

℣. Hasta Regem gloriae cruentavit Christum—Tuam—Gloria Patri — Tuam.

Lect. IX.

Duo testimonia de Scripturis singulis reddidit, quasi facta fuissent, narravit. Nam quia dixerat: Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ad hoc pertinet testimonium. Os non comminuetis ex eo; quod praeceptum est eis, qui celebrare Pascha jussi sunt, ovis immolatione, in veteri lege, quae Dominicae Passionis umbra praecesserat. Unde Pascha nostrum immolatus est Christus; de quo Isaias Propheta dixerat: Sicut ovis ad occisionem ductus est. Item, quia subjunxerat, dicens: Sed unus militum lancea latus ejus aperuit; ad hoc pertinet alterum testimonium, Videbunt in quem transfixerunt. Ubi promissus est Christus, in ea, qua crucifixus est, carne venturus — Te Deum laudamus.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Antiph. Hasta Regem gloriae Christum cruentavit, dum Crucis in arbore Dominus regnavit.

Ps. Dominus regnavit cum reliq. de Laud.

Antiph. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, et in ejus laudibus semper jubilemus.

Antiph. Unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Antiph. Fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum.

Antiph. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum clavis, et Lancea mortem superavit.

Capitulum. Sap. 5.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile, aequitatem: acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

HYMNUS.

Verbum supernum prodiens
Salvare quod perierat,
Hasta, Clavisque moriens
Complevit ad quod venerat.
O gloriosa Lancea,
Timor, tremorque daemonum,
Regna pandis siderea,
Per sanctae necis meritum.
De Clavorum stigmatibus
Emanat mundi pretium,
Et cunctis aromatibus
Spirans odorem coelicum.
In corde Christi mergitur
Mucro leone saevior:
De forti fons exoritur,
Cibusque melle dulcior.
In Natum Pater phialam
Effudit iracundiae,

Ut nobis coenam maximam
Gratis suae det gloriae.
O Christe nostrum gaudium,
De vulnerato latere
Da lac, et vinum depluum
Ardente corde sugere:
Precamur, Auctor omnium
Tu nostra sis refectio:
Tuorum quoque militum
Armorum sis protectio. Amen.

℣. Per Sanctum Lanceam de inimicis nostris.

℟. Libera nos, Deus noster

Ad Benedictus. Antiph.

O felix, et omni laude digna Lancea Salvatoris, quae pertransiens latus ejus, chirografum peccati affixit patibulo Crucis.

Oratio.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate Clavis affigi, et Lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius, ut qui eorumdem Clavorum, et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis.

AD PRIMAM.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui vulneratus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Antiph. Hanc tremendam Lanceam *Capit.* Sumet Dominus, *ut supra.*

℟. *breve* Apprehende * Arma, et scutum — Apprehende.

℣. Et exurge in adjutorium mihi — Arma et scutum — Gloria Patri — Apprehende.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeraverunt omnia ossa méa.

AD SEXTAM.

Antiph. Unus militum.

Capitulum. Apoc. 1.

Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a Jesu Christo, *qui* est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae: qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

℟. *breve* Foderunt * Manus meas, et pedes meos — Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea — Manus — Gloria Patri — Foderunt.

℣. Quem tu percussisti, persecuti sunt.

℟. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

AD NONAM.

Antiph. Sempiterna gaudia.

Capitulum. Apoc. 1.

Ego sum primus et novissimus, et vivus, qui fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum.

℟. *breve.* Quem tu percussisti * persecuti sunt — Quem tu.

℣. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt — Persecuti sunt — Gloria Patri — Quem tu.

℣. Ipse vulneratus est propter inquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

In II. Vesp. omnia ut in primis, et loco ultimi Psalm. Credidi propter quod.

Ad Magnificat. Antiph.

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos, et Lanceam dat Ecclesiae de inimicis victoriam, et in coelo vitam, et coronam perpetuam.

Fer. VI. post Domin. 2. Quadrag.

In festo Quinque Vulnerum D. N. J. C. *Dupl. maj.*

Ad Vesperas.

Antiph. Vere languores nostros, *cum reliq. de Laud.*

Psalm. Credidi, *cum reliq. ut*

ad Vesp. in Offic. Commem. Dominicae Passionis.

Capitulum. *Isaiae* 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus. ℞. Deo gratias.

HYMNUS.

Pange lingua gloriosi
Lauream certaminis,
Et super Crucis trophaeo
Dic triumphum nobilem:
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De Parentis protoplasti
Fraude Factor condolens,
Quando pomi noxialis
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.
Hoc opus nostrae salutis
Ordo depoposcerat
Multiformis proditoris
Ars, ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde laeserat.
Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Conditor;
Atque ventre Virginali
Carne amictus prodiit.
Vagit infans inter arcta
Conditus praesepia,
Membra pannis involuta
Virgo Mater alligat,
Et Dei manus, pedesque
Stricta cingit fascia.
Sempiterna sit beatae
Trinitati gloria;
Æqua Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas. Amen.

℣. Videbunt, in quem transfixerunt.

℞. Et dolebunt super eum, ut in morte primogeniti.

Ad Magnificat. Antiph.

Dum in Cruce penderet Unigenitus Dei Filius, et ab omnibus subsannaretur, Mater ejus Virgo Maria ipsum verum Deum, et hominem condolens venerabatur.

Oratio.

Deus qui Unigeniti Filii tui passione, per quinque vulnera ejus, et sanguinis effusionem humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus, ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eumdem.

Ad Matutinum.

Invitat. Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum. * Venite adoremus. *Psalm.* Venite, exultemus etc.

Hymn. Pange lingua gloriosi, *ut in 1. Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Psalm. 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae meae: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt, * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo; * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam

Pluet super peccatores laqueos: *

ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus. Gloria Patri.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum: et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Psalm. 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo; * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit; * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum. Gloria Patri.

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales; * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Glor. Patri.

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum.

℣. Foderunt manus meas, et pedes meos,

℟. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

De Isaia Propheta.

Lect. I. *Cap.* 53.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini, cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei; neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propte

scelera nostra: disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus ejus sanati sumus.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum.

℣. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras — In quo habemus.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obtumescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.

℟. Nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per Sanguinem Jesu Christi: * Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. A Domino factum est istud: et est mirabile in oculis nostris — Ipse est pax nostra.

Lect. III. *Cap.* 63.

Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular calcavi solus, et de Gentibus non est vir mecum: calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea; et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meae venit: circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi, et non fuit qui adjuvaret.

℟. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum. * Pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quae in coelis, sive quae in terris sunt.

℣. Ipse est caput corporis Ecclesiae, in omnibus primatum tenens — Pacificans per sanguinem — Gloria Patri — Pacificans.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa.

Psalm. 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti: * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abbiectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, * spes mea ab uberibus matris meae Deus meus es tu, ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est; * quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens, et fugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens, * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamavero ad eum exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in cospectu ejus * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum: et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae, * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Gloria Patri.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Psalm. 65.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua, Domine! * in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nomini tuo.

Venite et videte opera Dei: * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: * ibi laetabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt: * qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite Gentes Deum nostrum:* et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam meam ad vitam: * et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: * igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transivimus per ignem et aquam: * et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo omnes qui timetes Deum, * quanta fecit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamavi, * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, * non axaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meae.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, * et misericordiam suam a me. Gloria.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Antiph. Vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

Psalm. 75.

Notus in Judaea Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus:* et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum,* scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob* dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium: * terra tremuit, et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus: * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro: * omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum; * terribili apud Reges terrae. Gloria Patri.

Antiph. Vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.

℟. Et dolores nostros ipse portavit.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Lib. de Pass. Dom. Cap. 41.

Lect. IV.

Captus est Jesus post plurimas illusiones tam Judaeorum, quam Gen-

tium post sanguinis plures effusiones, clavis immitibus manibus simul et pedibus perforatur: et configitur ligno Crucis Salvator noster mitissimus Deus. Intuere, et respice rosam Passionis sanguineae, quomodo rubet in indicium ardendentissimae charitatis. Contendunt passio et charitas: ista ut plus ardeat: illa ut plus rubeat.

℟. Per mortem destruxit Jesus eum, qui mortis habebat imperium: * Ut liberaret eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti.

℣. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret — Ut liberaret.

Lect. V.

Vide quomodo hoc flore rosae floruerit optima vitis nostra rubicundus Jesus. Vide totum corpus, sicubi rosae sanguineae florem non invenias. Inspice manum unam et alteram, si florem rosae non invenias in utraque. Inspice pedem unum et alterum numquid non rosei? Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrubea sit, propter misturam aquae: quia, sicut narrat Evangelista, cum unus militum lancea perforasset, exivit sanguis et aqua.

℣. Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. * Et sicut in Adam omnes peccaverunt, ita in Christo omnes vivificabuntur.

℟. Novissime autem inimica destruetur mors— Et sicut.

Lect. VI.

Respice, Domine Sancte Pater, de Sanctuario tuo, et de excelso coelorum habitaculo; et intuere hanc Sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudine malitiae nostrae. Cognosce Pater tunicam filii tui Joseph. Heu! fera pessima devoravit eum, et conculcavit in furore suo vestimentum ejus. Ecce quinque scissuras lamentabiles in eo reliquit.

℣. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum: * Ut pro omnibus gustaret mortem.

℣. Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari — Ut pro omnibus — Gloria Patri — Ut pro omnibus.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Psalm. 95.

Cantate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus; * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii Gentium daemonia: * Dominus autem coelos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus; * sanctimonia, et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae Gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae,

qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrae in aequitate, * et populos in veritate sua.

Antiph. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

Psalm. 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * laetentur insulae multae.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt coeli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et laetata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judae, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetitia.

Laetamini justi in Domino: * et confitemini memoria sanctificationis ejus.

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

Antiph. In amaritudine sermo meus est; et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

Psalm. 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae: * et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae: * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domine in cithara, in cithara et voce psalmi; * in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate.

Antiph. In amaritudine sermo meus, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

℟. Attritus est propter scelera nostra.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. Cap. 19.

In illo tempore: Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut con-

summaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S.Cyrilli Episcopi Alexandrini.

Libr. 12. Comment. in Joan.

Cum ab immanibus Judaeis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quidquam jam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum caro Christi sanctissima proprium quiddam, ac naturale rursus patitur. Multis enim, ac variis doloribus exiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam, et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis ardoribus praecordia urentes. Consummatum esse ait impietatis Judaicae modum, et impotentem saeviendi animum. Quid enim Judaei intentatum reliquerunt, aut quid non extremae crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii, aut contumeliae genus praetermiserunt?

℟. Manifestata est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi: * qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

℣. Liberavit, et vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quae data est nobis in Christo — Qui destruxit.

Lect. VIII.

Quamobrem jure, consummatum est, ait: sed hora jam eum ad praedicandum spiritibus, qui apud inferos erant, invitante. Advenit enim, ut mortuorum ac vivorum dominaretur; ipsam pro nobis mortem suscepit, communem hanc naturae passionem sustinuit in carne sua. Cum autem Jesum caput inclinasse comperissent, et jam eum expirasse putarent, frustra ejus crura confringi existimant: sed cum adhuc mortuum esse nonnihil diffiderent, lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua mixtus scaturiit, quod Eulogiae mysticae, et sancti baptismatis imago quaedam erat, atque primitiae. Christi enim est vere, et a Christo sanctum baptisma, et misticae Eulogiae vis ex sancta nobis carne prodiit.

℟. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo * In sanguine tuo.

℣. Fecisti enim nos Deo nostro regnum, et sacerdotes — In sanguine tuo — Gloria Patri — In sanguine tuo.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Antiph. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Antiph. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit.

Antiph. Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.

Capitulum. *Isai.* 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

Hymn. Lustra sex *etc. ut in Laud. Offic. Sacr Coronae Spin. pag.* 123.

℣. Avertantur retrorsum et erubescant.

℟. Qui cogitant mihi mala.

Oratio.

Deus, qui Unigeniti Filii tui pas-

sione, per quinque vulnera ejus, et sanguinis effusionem humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus, ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eumdem Dominum.

AD PRIMAM.

Antiph. Vere languores.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui vulneratus es pro nobis.

Ad Absolut. Capituli dicit. Cap. Nonae.

AD TERTIAM.

Antiph. Ipse autem.

Capitulum. Christus vulneratus est, *ut supra.*

℟. *brev.* Foderunt manus meas, * Et pedes meos — Foderunt.

℣. Dinumeraverunt omnia ossa mea — Et pedes — Gloria Patri — Foderunt.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam.

℟. Attendite, et videte dolorem meum.

AD SEXTAM.

Antiph. Alligavit Dominus.

Capitulum.

Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me, Domine Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus.

℟. *breve.* Vere languores nostros, * Ipse tulit — Vere.

℣. Et dolores nostros ipse portavit — Ipse tulit — Gloria Patri — Vere languores.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

AD NONAM.

Antiph. O vos omnes.

Capitulum.

Tradidit Christus in morte animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. *breve.* Ipse vulneratus est, * Propter iniquitates nostras — Ipse.

℣. Attritus est propter scelera nostra — Propter — Gloria Patri — Ipse vulneratus.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℟. Et non aperuit os suum.

In II. Vesp. omnia ut in primis, praeter seq. Antiph.

Ego sum vestra Redemptio: manus meae, quae vos fecerunt, clavis confixae sunt: propter vos flagellis caesus sum, spinis coronatus sum: aquam petii pendens, et acetum porrexerunt: in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam: mortuus, et sepultus resurrexi: vobiscum sum, et vivo in aeternum.

Fer. VI. post. Domin. 3. Quadrag.

In festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. *Dupl. maj.*

Ad Vesperas.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.

Psalm. ut in Domin. et loco ultimi, Laudate Dominum omnes Gentes.

Antiph. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Antiph. Vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

Antiph. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

Capitulum. *Haebr. 9.*

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per am-

plius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

HYMNUS.[1]

Festivis resonent compita vocibus;
Cives laetitiam frontibus explicent:
Taedis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri et senes.
Quem dura moriens Christus in arbore,
Fudit multiplici vulnere sanguinem;
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.
Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas, et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.
Clamorem validum summus ab aethere
Languentis Geniti si Pater audiit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.
Hoc quicumque stolam Sanguine proluit,
Absterget maculas, et roseum decus,
Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat, capit.
A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat; meta sed ultima
Tangatur; tribuet nobile praemium,
Qui cursum Deus adjuvat.
Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigeni Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Coeli ad culmina transferas. Amen.

Ad magnificat Antiph.

Accessit ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti; ac ejus Sanguine placari voluisti: concede quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit, et regnat in unitate etc.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Dei Filium, qui suo nos redemit Sanguine: * Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus.

HYMNUS.

Ira justa Conditoris,
Imbre aquarum vindice,
Criminosum mersit orbem,
Noe in Arca sospite:
Mira tandem vis amoris
Lavit orbem sanguine.
Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quae scatebat,
Germinavit flosculos:
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.
Triste protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Haec fuit victoria.
O scientiae supernae:
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Praedicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam optimus.
Quando culpis provocamus
Ultionem Judicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia:
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.

Te redemptus laudet orbis
Grata servans munera,
O Salutis sempiterne
Dux, et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente, et Spiritu. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Psalm. 2.

Quare fremuerunt Gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum: * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Cirumpamus vincula eorum: * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi Gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, * et tamquam vas figuli confriges eos.

Et tunc Reges intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer vocatum est nomen ejus Jesus.

Antiph. Factus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Psalm. 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi, * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi; quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Factus in agonia, prolixius orabat; et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Antiph. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum.

Psalm. 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino; Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum; * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus; * nec memor

ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris. * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum. qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae; adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Antiph. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem justum.

℣. Redemisti nos, Domine.

℟. In Sanguine tuo,

De Epistola Beati Pauli Apostoli ad Hebraeos, *Cap. IX.*

Lect. I.

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sauguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem, introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae haereditatis.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

℣. Nondum enim usque ad Sanguinem restitistis adversus peccatum expugnantes—Exeamus igitur.

Lect. II.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur. Et sine sanguinis effusione non fit remissio.

℟. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum; * et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.

℣. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusione, ne, qui vastabat primitiva, tangeret eos—Et ait.

Lect. III.

Habentes itaque, fratres, fidu-

ciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, idest carnem suam, et Sacerdotem magnum, super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est, qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.

℟. Vos, qui aliquando eratis longe, * facti estis prope in Sanguine Christi: Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt — Ipse enim — Gloria Patri — Ipse.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Psalm. 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae, * propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me: * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Antiph. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Antiph. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: innocens ego sum a sanguine justi hujus.

Psalm. 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamavi ad te: * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua: * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me: * et factus sum conturbatus.

Ad te Domine, clamabo: et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo: * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis: * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non

compungar ; * Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.

Antiph. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus.

Antiph. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Psalm. 63.

Exaudi Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium: * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: dixerunt: * Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Lect. IV.

Vultis Sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Ægypto, nocte media, Ægyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile ut discas in veritate virtutem. Ira divinae indignationis sperabatur, et domos singulas mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid ait Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Dominici sanguinis per eum demonstratur exemplum.

℟. In timore incolatus vestri conversamini: * Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis.

℣. Sed pretioso Sanguine, quasi agni immaculati Christi — Scientes.

Lect. V.

Nam sicut Regnantium statuae, quae sine causa sunt et sermone, nonnumquam ad se confugientibus hominibus anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt aere confectae, sed quia retinent imaginem principalem: ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit animas habentes homines liberavit; non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ita vastator, cum liniret postes, atque aditus pervideret, transjecit gressus,

et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus non postibus impositum sanguinem Typi, sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus sanguinis scrutare virtutem? volo unde primum cucurrit, inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit. Latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, approximat miles: Latus lancea percussit, et exinde aqua fluxit, et sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit sanguis, et aqua; sed exiit aqua primum, et sanguis: quia primum baptismate diluimur, et postea mysterio dedicamur.

℟. Empti estis pretio magno: * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

℣. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum — Glorificate.

Lect. VI.

Latus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum praeclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judaei ovem occiderunt, et ego fructum de sacramento cognovi. De latere sanguis et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica, atque segretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum, aquam illam et sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam; et mysteria, quae ex latere videntur esse prelata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque, testatur dicens; De corpore ejus, et de ossibus ejus sumus: Latus videlicet illud significans: Nam sicut de illo latere Deus fecit feminam procreari, sic et de suo Latere Christus aquam nobis, et sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

℟. Commendat charitatem suam Deus in nobis: * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.

℣. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum — Quoniam — Gloria Patri — Quoniam.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Psalm. 73.

Ut quid Deus repulisti in finem:* iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?

Memor esto congregationis tuae:* quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam haereditatis tuae: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt, qui oderunt te: * in medio solemnitatis tuae.

Posuerunt signa sua, signa: * et non cognoverunt, sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: *

in securi et ascia dejecerunt eam

Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : * quiescere faciamus omnes dies festo Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo Deus improperabit inimicus; * irritat adversarius nomen tuum in finem?

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam: * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante saecula, * operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare: * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis; * dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes et torrentes; * tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabbricatus es auroram, et solem.

Tu fecisti omnes terminos terrae; * aestatem et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi : * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum : * quia repleti sunt, qui obscurati sunt, terrae domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus : * et pauper, et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, judica causan tuam : * memor esto improperiorum tuorum, eorum, quae ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum; * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Antiph. Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Antiph. Et bajulans sibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum; ubi crucifixerunt eum.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae; * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus; * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar : * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die : * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam : * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tene-

bris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam: * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum: * et notos meos a miseria.

Antiph. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, ubi crucifixerunt eum.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Psalm. 93.

Deus ultionum Dominus: * Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui judicas terram: * redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine: * usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem: * loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt: * et haereditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt: * et pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus: * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo: * et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet: * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet: * qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum: * quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine: * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis: * donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam: * et haereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium: * et qui juxta illam, omnes, qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me: * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Motus est pes meus: * misericordia tua Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: * consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis? * qui fingis laborem in praecepto?

Captabunt in animam justi: * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium: * et Deus meus in adjutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet illos Dominus Deus noster.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. *Cap.* 19.

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. *in Joann.*

Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum: haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noe in latere Arcae ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite Cruce dormivit; ut inde formaretur ei conjux, quae de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

℣. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris — Non in aqua.

Lect. VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et daemonibus serviebant. Sed redempti sunt a captivitate: vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium: Fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit. Sanguis Christi pretium est: Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum est, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant: Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum: * In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

℣. Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis — In quo — Gloria Patri — In quo.

Nona Lect. homil. Fer. occ.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Antiph. Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt?

Antiph. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

Antiph. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte.

Antiph. Et ipsi vicerunt draconem, propter testamentum verbi sui.

Antiph. Beati qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

Capitulum.

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum

non manufactum, idest non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed proprium Sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

HYMNUS.

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.
Nitore stellas vincitis,
Rosas odore, et balsama,
Pretio lapillos Indicos,
Mellis favos dulcedine.
Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium:
Quot Jesus in Praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat cruoris guttulas!
Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit spinea,
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.
Postquam sed ille tradidit
Amans volensque spiritum,
Pectus feritur lancea
Geminusque liquor exilit.
Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Suique Jesus immemor,
Sibi nil reservat Sanguinis.
Venite quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat, mundabitur.
Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritui. Amen.

℣. Justificati in Sanguine Christi.
℣. Salvi erimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus. Antiph.

Erit sanguis Agni nobis in signum dicit Dominus: Et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti; concede quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit et regnat in unit.

AD PRIMAM.

In ℟. *brevi.* ℣. Qui tuo nos Sanguine redemisti.

AD TERTIAM.

Antiph. Hi sunt.

Capit. Fratres, *ut supra*.

℟. *br.* Redemisti nos Domine: * In Sanguine tuo — Redemisti.

℣. Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione — In sanguine tuo — Gloria Patri — Redemisti.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.
℟. Emundat nos ab omni peccato.

AD SEXTAM.

Antiph. Ideo sunt.

Capitulum.

Si sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

℟. *br.* Sanguis Jesu Christi Filii Dei * Emundat nos — Sanguis.

℣. Ab omni peccato — Emundat nos — Gloria Patri — Sanguis.

℣. Christus dilexit nos.
℟. Et lavit nos in Sanguine suo.

AD NONAM.

Antiph. Beati.

Capitulum.

Accipiens Moyses sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit dicens: hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

℟. *br.* Christus dilexit nos, et lavit nos * In Sanguine suo—Christus.

℣. Et fecit nos Regnum et Sacerdotes Deo et Patri — In Sanguine suo — Gloria Patri — Christus.

℣. Justificati in Sanguine Christi.

℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

In II. Vesperis Antiph., Psalm., et Hymn. ut in primis; sed loco ult. Psalmi dicatur Lauda Jerusalem Dominum.

℣. Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni.

℟. Quos pretioso Sanguine redemisti.

Ad Magnificat Antiph.

Habetis autem hunc diem in monumentum: et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.

Fer. VI. post Domin. 4. Quadrag.

In festo Sacratiss. Sindonis D. N. J. C. *Dupl. maj.*

Ad Vesperas.

Antiph. Joseph nobilis Decurio, *cum reliquis ut infra ad Laud. Psalm.* Dixit Dominus *etc. cum reliquis de Domin. et loco ultimi,* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. Isai. 63.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

HYMNUS.

Gloriam sacrae celebremus omnes
Sindonis laetis recolamus hymnis,
Et piis votis monumenta nostrae
Certa salutis.

Quae refert semper veneranda Sindon
Sanguine impressis decorata signis:
Dum Cruce ex alta tulit involutum
Corpus Jesu.

Reddit haec saevos animo dolores,
Quos tulit casum miseratus Adae,
Christus humani generis Redemptor,
Morte perempta.

Saucium ferro latus, atque palmas,
Et pedes clavis lacerata flagris
Membra, et infixam capiti coronam,
Monstrat imago.

Quis pius siccis oculis, et absque
Intimi cordis gemitu notata,
Vivaque indignae simulacra mortis,
Cernere possit?

Nostra cum solum tibi Christe culpa
Caussa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita: Vitam
Dedimus ipsam.

Sit tibi, filii, decus atque virtus,
Qui tuo mundum redimis cruore,
Quique cum summo Genitore, et almo
Flamine regnas Amen.

℣. Tuam Sindonem veneramur Domine.

℟. Tuam recolimus passionem.

Ad magnificat Antiph.

Joseph vir bonus et justus accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu, quo accepto, involvit illud in Sindone munda.

Oratio.

Deus qui nobis in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum e cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti; concede propitius, ut per mortem, et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Dominum, qui passionis suae memoriam in sacra Sindone renovat * Venite, adoremus.

HYMNUS.

Mysterium mirabile
Luce nobis panditur,
Verus Dei cum Filius
Mortem cruentam sustinet.
Caussam tuendo servuli,
Reique formam vestiens,
Pro servo herus suspenditur,
Pro sonte justus plectitur.
Necis manent insignia
Impressa sacra in Sindone,
Quae post triumphum nobilem
Corpus cruentum involverat,
Sunt mortis haec, et tartari,
Mundique victi insignia,
Trophaea sunt haec inclyta
Ductoris invictissimi,
Debemus ergo hanc gratiam
Nostrae salutis vindici;
Ut daemonis contra dolos
Hac militemus tessera.
Vitae vetustae mortui,
Surgamus in vitam novam
Christum secuti, per crucem,
Christi fruemur gloria.
Praesta Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum spiritu Paraclito
Regnans per omne saeculum. Am.

IN I. NOCTURNO

Antiph. Rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Psalm. 4.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: * quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino: * multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui: * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam et requiescam,

Quoniam tu Domine, singulariter in spe: * constituisti me.

Antiph. Rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Antiph. Aspersus est sanguis super vestimenta mea; omnia indumenta mea inquinavi.

Psalm. 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te: * dixi Domino: Deus meus es tu quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus,* mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum, * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea : * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua sque in finem.

Antiph. Aspersus est sanguis super vestimenta mea ; omnia indumenta mea inquinavi.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea , et super vestem meam miserunt sortem.

Psalm. 14.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo : * aut quis requiescet in monte sancto tuo ?

Qui ingreditur sine macula; * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo : * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum :* et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : * timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo suo , et non decipit: * qui pecuniam suam non dedit ad usuram , et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec : * non movebitur in aeternum.

Antiph. Diviserunt sibi vestimenta mea , et super vestem meam miserunt sortem.

℣. Tuam Sindonem veneramur Domine.

℟. Tuam recolimus passionam.

De Isaia Propheta

Lect. I. Cap. 53.

Quis credidit auditui nostro ? et brachium Domini cui revelatum est ? et ascendet sicut virgultum coram eo , et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei , neque decor ; et vidimus eum , et non erat aspectus , et desideravimus eum: despectum et novissimum virorum ; virum dolorum, et scientem infirmitatem , et quasi absconditus vultus ejus , et despectus , unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

℣. Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem. Aspectus ejus in eo non est. Hic peccata nostra portavit , et pro nobis dolet : ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras ;* cujus livore sanati sumus.

℟. Vere languores nostros ipse tulit , et dolores nostros ipse portavit — Cujus livore.

Lect. II.

Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit , et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum : de angustia, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit ? Quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum: et dabit impios pro sepultura , et divitem pro morte sua , eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Quid sunt plagae istae in me-

dio manuum tuarum? * Et dicet, his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

℣. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi — Et dicet.

Lect. III.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

℟. Tuam Sindonem veneramur Domine, tuam gloriosam recolimus passionem: * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

℣. Salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam— Miserere—Gloria Patri — Miserere.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Qui ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde: * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas Principes vestras, et elevamini portae aeternales; * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas Principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum, ipse est Rex gloriae.

Antiph. Quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

Antiph. Omnes videntes me, deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Psalm. 26.

Dominus illuminatio mea, et salus mea: * quem timebo?

Dominus protector vitae meae, * a quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes: * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei: * ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra: * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me praelium: * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis:* cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam a me; * ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me: * neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age,* et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Antiph. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Antiph. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

Psalm. 29.

Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamavi ad te: * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus:* et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus:* et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua: * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me: * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo:* dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis:* aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

Antiph. Tradidit in mortem animam suam, et ipse peccata multorum tulit.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Lect. IV. Luc. 23.

Quid sibi vult, quod non Apostoli, sed Joseph, et Nicodemus, ut Joannes dicit, Christum sepeliunt? Unus Justus, et constans, alter qui erat Magister in Israel. Talis enim Christi est sepultura, quae justitiam, magisteriumque habeat. Obstruitur igitur tergiversandi locus, et domestico Judaei testimonio revincuntur. Nam si Apostoli sepel-

lissent, dicerent utique non sepultum, quem sepultum raptum esse dixerunt. Justus autem Christi Corpus operit Sindone, innocens ungit unguento. Namque haec non otiose distincta reperimus; quia justitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat.

℟. O admirabilis Sindon, in qua involutus est thesaurus noster, * Redemptio captivorum.

℣. Gaudet totus mundus, qui redemptus est Sanguine Domini sui: * Redemptio.

Lect. V.

Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut et ipse sis justus. Et si mortuum credis, operi tamen divinitatis propriae plenitudine: unge illud myrra, et aloe, ut bonus odor sis. Bonum linteum misit Joseph ille vir justus; et fortasse illud, quod Petrus vidit e coelo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum, et ferarum, et volucrum ad figuram gentium figurata. Mystico igitur unguento illo pistico consepelitur Ecclesia, quae diversitatem populorum fidei suae communione sociavit.

℟. Tulerunt tunicam Joseph fratres ejus, et in sanguine haedi, quem occiderunt, tinxerunt, mittentes qui ferret ad Patrem, et diceret: * Hanc invenimus; vide num tunica filii tui sit, an non?

℣. Quam cum agnovisset Pater, ait: tunica filii mei est: fera pessima devoravit eum — Hanc invenimus.

Lect. VI.

Hunc Joseph justum Lucas dixit, Matthaeus divitem. Et non merito dives hoc loco dicitur, ubi corpus suscipit Christi; suscipiendo enim divitem, nescivit fidei paupertatem. Dives est ergo, qui justus est. Justus igitur Sindone involvit, Israelita vero, et diversos miscet virtutum odores, et aloes mittit quasi libras centum, hoc est perfectae fidei quantitatem. Et ligaverunt Corpus Jesu juxta consuetudinem specialem Judaeorum, non utique nodis perfidiae, sed fidei ligaturis; et posuerunt in horto, cui frequenter Ecclesia comparatur, quae diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum.

℣. Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: * Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.

℟. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur — Qui peccatum — Gloria Patri — Qui peccatum.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Caro mea requiescet in spe, quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Psalm. 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac: * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me: * et fortes quaesierunt animam meam; et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Antiph. Caro mea requiescet in

spe, quia non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Antiph. Convertisti plantum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Psalm. 75.

Notus in Judaea Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus: * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum: * scutum, gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: * turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob: * dormitaverunt, qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium: * terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus: * ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete et reddite Domino Deo vestro: * omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili et ei, qui aufert spiritum Principum; * terribili apud Reges terrae.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae; * in die clamavi, et nocte coram te,

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius; * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia; * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam: * et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: * et justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam: * avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.

In me transierunt irae tuae, * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die; * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum: * et notos meos a miseria.

Antiph. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo Domine.

Lectio S. Evangelii secundum Marcum.

Lect. VII.

In illo tempore, cum jam sero factum esset, quia erat Parasceve, quod est ante Sabbatum, venit Joseph ab Arimathaea nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

Parasceve graece, latine praeparatio dicitur, quo nomine Judaei, qui inter Graecos morabantur, sextam Sabbati appellabant, eo quod in illo ea, quae requie Sabbati necessaria essent, praeparare solerent. Juxta hoc, quod de manna quondam praeceptum est: Sexta autem die colligetis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatura perfecta; septima autem Conditor ab opere suo requievit; unde et hanc Sabbatum, hoc est requiem voluit appellari: recte Salvator eadem sexta die crucifixus, humanae restaurationis implevit arcanum; ideoque cum accepisset acetum dixit, consummatum est, hoc est sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens resurrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum.

℟. Mercatus est Joseph Sindonem mundam, ut involveret in ea Corpus Domini: * Venit ergo, et tulit Corpus ejus.

℣. Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea, ut tolleret Corpus Jesu — Venit ergo.

Lect. VIII.

Venit, inquit, Joseph ab Arimathaea nobilis Decurio, qui et ipse erat expectans Regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu. Magnae quidem Joseph iste dignitatis ad saeculum, sed majoris apud Deum meriti fuisse laudatur. Talem namque existere decebat eum, qui Corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiae saecularis facultatem posset obtinere ministrandi: non enim quilibet ignotus, aut mediocris ad Praesidem accedere, et Crucifixi Corpus poterat impetrare.

℟. Haec est Sindon dignissima, in qua salutis Auctor de cruce depositus involvi dignatus est; * ut nos consepulti cum eo, veteris hominis exuviis depositis, innocentiae Sindone tegeremur.

℣. Felix Domus Sabaudiae, quae tanto pignore ditata, sacro hoc munere gloriatur — Ut nos — Gloria Patri — Ut nos.

Lect. IX.

Joseph autem mercatus est Sindonem, et deponens eum involvit Sindone. Possumus, juxta intelligentiam spiritualem hoc sentire, Corpus Domini non auro, non gemmis, et serico, sed linteamine puro obvolvendum sit. Quamquam et hoc significet, quod ille in Sindone munda involvat Jesum, qui pura cum mente susceperit. Hinc Ecclesiae mos obtinuit, ut sacrificium Altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur. — Te Deum.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Antiph. Joseph nobilis Decurio, vir bonus, et justus, et ipse dives erat expectans Regnum Dei.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Laudibus.*

Antiph. Hic audacter introivit ad Pilatum, et petiit Corpus Jesu.

Antiph. Cum cognovisset Pilatus a Centurione, quod jam mortuus esset, donavit Corpus Jesu.

Antiph. Joseph autem mercatus Sindonem, et deponens eum, involvit Sindone.

Antiph. Posuit eum in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Capitulum.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

HYMNUS.

Jesu dulcis amor meus,
Ac si praesens sis, accedo:
Te complector cum affectu,
Tuorum memor vulnerum.
O quam nudum hic te cerno,
Vulneratum, et distensum,
Inquinatum, involutum
In hoc sacro tegmine!
Salve caput cruentatum
Spinis, cujus dulcis vultus
Immutavit suum florem,
Quem coeli tremit Curia.
Salve latus Salvatoris,
Salve mitis apertura,
Super rosam rubicunda
Medela salutifera.
Manus sanctae vos avete,
Diris clavis perforatae;
Ne repellas me Salvator
De tuis sanctis pedibus. Amen.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtutem.

Ad Benedictus Antiph.

Joseph nobilis Decurio, expectans et ipse regnum Dei mercatus est Sindonem, et deponens Corpus Jesu, involvit illud in Sindone.

Oratio,

Deus, qui nobis in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum e Cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuae vestigia reliquisti; concede propitius, ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas.

AD TERTIAM.

Capitulum *Isai.* 62.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

℟. *breve.* Tuam Sindonem * veneramur Domine — Tuam Sindonem.

℣. Tuam recolimus passionem — Veneramur Domine — Gloria Patri — Tuam Sindonem.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

AD SEXTAM.

Capitulum.

Quare ergo rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

℟. *breve.* Adoramus te Christe,* et benedicimus tibi — Adoramus.

℣. Quia per mortem tuam redemisti mundum — Et benedicimus — Gloria Patri — Adoramus.

℣. Omnis terra adoret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

AD NONAM.

Capitulum.

Circumspexi, et non erat auxiliator; quaesivi, et non fuit qui adjuvaret; et salvavit mihi brachium meum; et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.

℟. *breve.* Omnis terra adoret te,* et psallat tibi — Omnis terra.

℣. Psalmum dicat nomini tuo Domine — Et psallat tibi — Gloria Patri — Omnis terra.

℣. Dominus regnavit decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem, et praecinxit se virtute.

AD VESPERAS.

Antiph. Joseph nobilis, *cum rel. de Laud.* Dixit Dominus, *cum reliq. de Dom. et loco ultimi, dicit seq.*

Psalm. 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum desprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam: * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me: * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine: * dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam:* quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me:* quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: * me expectant justi donec retribuas mihi.

Antiph. Posuit eum in monumento, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Capitul. Quis est iste, *ut supra.*

Hymnus. Gloriam sacrae *etc.*

Ad Magnificat Antiph.

Homo quidam dives ab Arimathaea, nomine Joseph, accepto corpore Jesu involvit illud in Sindone munda.

Domin. V. post Pascha.

In festo Translat. Sacrar. Reliquiarum, quae in Cathedrali Agathensi Ecclesia servantur.

Duplex.

Offic. de comm. plurim. Martyr, praeter sequent.

Oratio.

Deus, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum, quorum reliquiae in *hac* Agathensi Ecclesia venerantur, Translationem colere: da nobis aeterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Domin.

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Ex tractatu S. Joannis Damasceni de fide orthodoxa.

Lect. IV.

Christus Dominus Sanctorum reliquias velut salutiferos fontes praebuit, ex quibus plurima nobis beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat: nam si aqua in deserto ex aspera et solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Samsonis sitim, Deo ita volente, prosiliit; eritne cur cuique incredibile videatur, ex Martyrum reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe: iis qui-

rem, quibus Dei potentia, honorque, quo sanctos suos afficit, perspectus et exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur; verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt.

Lect. V.

Ex quo enim ipsamet vita, ac vitae auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis fideique erga eum diem extremum clauserunt mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Per ea daemones expelluntur, morbi profligantur, aegroti sanantur, caeci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes ac moerores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a Patre luminum, eorum opera, ad eos, qui fide minime dubia pos ulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant?

Lect. VI.

Honorandi certe, et quidem ita ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea spiritualiter oblectemur: quo nimirum laetitia nostra iis, a quibus invitamur, congruat, ne, dum eos colere et demereri studemus, offendamus, potius, et irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque servi ipsius oblectantur: quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam ipsius milites offenduntur. Quocirca in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus et compunctione, et eorum qui in egestate versantur, commiseratione, quibus obsequiis Deus potissimum conciliatur, sanctos colamus, statuas ipsis, et visibiles imagines erigamus; imo ipsi virtutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivae eorum statuae, atque imagines simus.

In III. Noct. Homil. in Evang. Descendens Jesus de monte, *ut in eod. comm. 2. loco.*

FERIA VI.

IMMEDIATE POST OCT. SS. CORP. CHRISTI

Festum SS. Cordis Jesu.

Ad Vesperas.

Omnia de Die Octava SS. Corporis Christi, sine ulla commemoratione. Sed si offic. Cordis Jesu transferatur, vel celebretur sub ritu dupl. 1. vel. 2. classis, puta quia Titulus Ecclesiae, aut congregationis, tunc in I. Vesp. omnia dicuntur ut infra in 2. Vesp. except. seq.

℣. Miserator, et misericors Dominus.

℟. Longanimis, et multum misericors.

Ad Magnificat.

Antiph. Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum. Allel.

AD MATUTINUM.

Invitat. Cor. Jesu, charitatis victimam * Venite adoremus.

HYMNUS.

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis:
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena vos premit comes.
Jesu, qui ut agnus innocens.
Sese immolandum tradidit,
Ad cor reclusum vulnere,

Ad mite cor accedite.
Auditis ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?
Venite quos gravat labor,
Premitque pondus criminum.
Quid Corde Jesu mitius?
Jesum cruci qui affixerant
Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.
O Cor, voluptas coelitum.
Cor fida spes mortalium!
En hisce tracta vocibus
Ad te venimus supplices.
Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente sanguine:
Tu da novum cor omnibus,
Qui te gementes invocant. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Factum est Cor meum tamquam cera liquescens in medio ventri mei.

Psalm. 21.

Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies; * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri:* speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt; * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis et non homo: * opprobrium hominum, et abjecto plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae. * In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae, Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est:* quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi:* tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leònis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: *

et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum: * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae; * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet; * semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum, et refloruit caro mea.

Psalm. 27.

Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me: * ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum: * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, * et in opera manuum ejus destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus, * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adjutor meus, et protector meus: * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et floruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae: * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae: * et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Antiph. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum; et refloruit caro mea.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

Psalm. 29.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamavi ad te: * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua: * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me: * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis: * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar; * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

℣. Ego autem in Domino gaudebo.
℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.

De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap.* 1.

Lect. I.

Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus, in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus, in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suae in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus. Propterea non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis; ut Deus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriae det vobis spiritum sapientiae, et revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae haereditatis ejus in Sanctis.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus, et remissionem peccatorum.

℣. Det nobis Dominus illuminatos oculos cordis nostri, in agnitione ejus — In quo.

Lect. II. *Cap.* 2.

Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu; ut ostenderet in soeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae, in bonitate super nos, in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum; et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem; interficiens inimicitias in semetipso: et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.

℟. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ostendit abundantes divitias gratiae suae: * In bonitate super nos, in Christo Jesu.

℣. Ipse enim est pax nostra; per quem habemus accessum ad Patrem — In bonitate super nos.

Lect. III.

Hujus rei gratia flecto genua mea

ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis, et in terra nominatur; ut det vobis, secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris; in charitate radicati, et fundati; ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi: ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

℟. Det nobis Dominus virtute corroborari, per spiritum ejus, in interiorem hominem: * Christum habitare per Fidem in cordibus nostris.

℣. Ut in charitate radicati, et fundati, comprehendamus supereminentem scientiae charitatem Christi — Christum habitare — Gloria Patri — Christum habitare.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Psalm. 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et laetentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me, * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini, * et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clavamit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, et esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo, * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos, * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos;

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unus ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et

qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * et non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Antiph. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Psalm. 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Linguà mea calamus scribae, * velociter scribentis.

Speciosus forma prae filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in aeternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, * in corda inimicorum Regis.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi: * virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Myrra et gutta, et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur: * omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam; * proximae ejus afferentur tibi.

Afferentur in laetitia, et exultatione; * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui, * in omni generatione, et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in aternum, * et in saeculum saeculi.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Antiph. Judicabit populum in justitia, et pauperes in judicio.

Psalm. 71.

Deus judicium tuum regi da; * et justitiam tuam filio Regis.

Judicare populum tuum in justitia; * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo; * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum; * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam; * in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus; * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad

mare; * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes; * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulae munera offerent; * reges Arabum, et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes Reges terrae; * omnes gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente; * et pauperem, cui non erat adiutor.

Parcet pauperi, et inopi; * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris, et iniquitate redimet animas eorum; * et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae; * et adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus; * et florebunt de civitate sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedictum in saecula; * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae; * omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel: * qui fecit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum; * et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

Antiph. Judicabit populum in justitia, et pauperes in judicio.

℣. Mihi autem adhaerere Deo bonum est.

℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.
Serm. 3. de Pass.

Lect. IV.

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos; Tu dixisti accedentibus ad te: gaudete quia nomina vestra scripta sunt in coelo. Accedamus ergo ad Te, et exultabimus, et laetabimur in Te, memores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes et affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

℟. Introduxit me Rex in cellaria sua, ordinavit in me charitatem; * Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi: et fructus ejus dulcis gutturi meo — Fulcite.

Lect. V.

Ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: invenit cor meum ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, et Amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum: admitte tantum in Sacrarium exauditionis tuae preces meas; immo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut purificatus per te purissimum, possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitae merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem.

℣. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et dicetis in illa

die: * Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

℣. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo — Confitemini.

Lect. VI.

Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in Te ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii Agricolae foderunt manus et pedes, latus et cor; stemusque ut cor nostrum, durum adhuc, et impenitens amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur.

℟. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum: * Et Spiritum meum ponam in medio vestri.

℣. Effundam super vos aquam vivam: * et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris—Et Spiritum—Gloria Patri—Et Spiritum.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Psalm. 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea, * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine, * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te, * ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus, * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulabant innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Antiph. Misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Antiph. Dominus dabit benignitatem: loquetur pacem in plebem suam.

Psalm. 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

Veruntamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: * justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem, * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Antiph. Dominus dabit benignitatem: loquetur pacem in plebem suam.

Antiph. Suavis et mitis es, Domine; et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Psalm. 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me, * quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die; * laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu Domine, suavis et mitis! * et multae misericordiae omnis invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam, * et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tuis in diis Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te Domine; et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua; * laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam; * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, * et misericors, patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei; * da imperium tuum puero tuo; et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Antiph. Suavis et mitis es, Domine, et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

℣. Misericordia Domini ab aeterno.

℟. Et usque in aeternum, super timentes eum.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem. *Cap.* 13.

Lect. VII.

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Et reliqua.

Homilia S. Bernandi Abbatis.

Serm. XIII. in Coena Dom.

De dilectione Dei quo plus bibo, plus sitio, et ea saturari non possum, nec ego, nec aliquis diligens Christum. Ipsa quo plus editur, plus famem adauget: et quanto plus ipsa bibitur, plus sitim inacuit: ipsam, quam inhabitat mentem, sic inebriat, ut nihil jam quaerat, vel diligat, nec diligere possit, nec valeat praeter eum, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret; ut omnis, qui credit, et diligit illum, non moriatur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem auctor ipse inaestimabilis charitatis invitat: in eo nos manere precatur et rogat. Ait enim: Manete in dilectione mea: ac si aperte dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo: eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa a vestra charitate me sejunxit, me diligite: et in ea dilectione manete.

℟. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: * Manete in dilectione mea.

℣. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione — Manete.

Lect. VIII.

Sed qualiter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur et dicit: Si praecepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione: Sicut et ego Patris praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Haec opera, Fratres mei, sunt causa dilectionis Christi: unusquisque vestrum videat, si Dominum Jesum diligere debeat. Quid pro nobis facere debuit, et non fecit? Quomodo non plus amare potuit, et non amavit? Majorem in nobis dilectionem non potuit habere, quam habuit: quia animam suam pro nobis posuit. Ipsa beata Veritas testis est, quam majorem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis vilescat, Fratres mei, ipsa dilectio Christi, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: non vobis vilescat, Fratres mei, non vobis amarescat ipse amor Christi, ipsa charitas Christi.

℟. Christus pro nobis animam suum posuit: * Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

℣. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis — Et lavit nos — Gloria Patri — Et lavit nos.

Lect. IX.

Amor Christi totus dulcis, totus delectabilis: suum possessorem non cruciat, sed delectat; non enervat, sed roborat; cuncta terrena subsannat; sola coelestia captat, Christi mandata requirit, et ea pro viribus observare contendit; et de observatione praeceptorum gressu felici provehitur ad perceptionem gaudiorum, ut cum illo jam perfecte gaudeat, pro cujus desiderio in hac valle lacrymarum positus, tam amare feliciter suspirabat. Unde recte sequitur: Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gau-

dium vestrum impleatur; ac si diceret: Ideo praecipio vobis, et moneo vos mea observare praecepta, et manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum de me adimpleatur: ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere: et illud gaudium, quod in retributione praemiorum electi sunt percepturi, percipere, et possidere possitis — Te Deum.

AD LAUDES.

Antiph. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris.

Antiph. Suavis est Dominus, et in aeternum misericordia ejus.

Antiph. Sitivit in te anima mea; quia melior est misericordia tua super vitas.

Antiph. Sancti et humiles corde benedicite Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Antiph. Beneplacitum est Domino in populo suo: et exultabit mansuetos in salutem.

Capitulum

Egredimini et videte, filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis ejus, et in die laetitiae cordis ejus.

HYMNUS.

Summi Parentis Filio
Patri futuri saeculi,
Pacis beatae Principi,
Promamus ore canticum.

Qui vulneratus pectore
Amoris ictum pertulit,
Amoris urgens ignibus
Ipsum qui amantem diligunt.

Jesu doloris victima,
Quis te innocentem compulit,
Dura ut apertum lancea
Latus pateret vulneris?

O fons amoris inclite!
O vena aquarum limpida!
O flamma adurens crimina!
O Cordis ardens charitas!

In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut uberi
Dono fruamur gratiae,
Caelique tandem praemiis.

Semper Parenti, et Filio
Sit laus, honor, sit gloria,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Misericordia Domini ab aeterno.
℟. Et usque in aeternum super timentes eum.

Ad Benedictus. Antiph.

Per viscera misericordiae suae visitavit nos Deus, et fecit redemptionem populi sui. Alleluja.

Oratio

Fac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari; ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis, et regnas.

AD PRIMAM.

Antiph. Discite a me.

℟. *breve.* Christe, Fili Dei vivi;* Miserere nobis — Christe. ℣. Per quem salvati, et liberati sumus — Miserere.

AD TERTIAM.

Antiph. Suavis est Dominus.

Capit. Egredimini, *ut ad Laudes.*

℟. *br.* Misericordia tua Domine,* Plena est terra — Misericordia.

℣. Justificationes tuas doce me.— Plena est terra — Gloria Patri — Misericordia.

℣. Secundum Misericordiam tuam vivifica me, Domine.

℟. Et custodiam testimonia oris tui.

AD SEXTAM.

Antiph. Sitivit in te.

Capitulum. *Cant.* 8.

Pone me ut signaculum super Cor

tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio.

℟. *br*. Secundum Misericordiam tuam, * vivifica me, Domine — Secundum.

℣. Et custodiam testimonia oris tui — Vivifica me, Domine — Gloria Patri—Secundum Misericordiam.

℣. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

℟. Et doce me justificationes tuas.

AD NONAM.

Antiph. Beneplacitum est.

Capitulum. *Psal*. 63.

Improperium expectavit Cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit; qui consolaretur, et non inveni.

℟. *br*. Fac cum servo tuo * secundum misericordiam tuam — Fac cum servo tuo.

℣. Et justificationes tuas doce me — Secundum misericordiam tuam — Gloria Patri — Fac cum servo tuo.

℣. Veniat super me misericordia tua, Domine.

℟. Salutare tuum, secundum eloquium tuum.

AD VESPERAS.

Antiph. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Psalm. Dixit Dominus Domino meo.

Antiph. Miserator Dominus, redemptionem misit populo suo.

Psalm. Confitebor tibi Domine.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalm. De profundis clamavi.

Antiph. Super misericordia tua, Domine, confitebor tibi in toto corde meo.

Psalm. 137.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam exaudisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine, misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Antiph. Super misericordia tua, Domine, confitebor tibi in toto corde meo.

Antiph. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Psalm. 144.

Exaltabo te Deus meus rex, * et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Per singulos dies benedicam tibi: * laudabo nomen tuum in saeculum saeculi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis: et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio, et generatio lauda-

bit opera tua : * et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur ; * et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent : * et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt : * et justitia tua exultabunt.

Miserator, et misericors Dominus ; * patiens, et multum misericors.

Suavis Dominus universis : * et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua : * et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent : * et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium saeculorum : * et dominatio tua in omni generatione, et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis : * et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes qui corruunt : * et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine : * et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis : * et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum : * omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet, * et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se : * et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, * et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Antiph. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Capitulum. Egredimini, *ut supra. Hymnus.* Quicumque certum quaeritis etc. *ut ad Matutinum.*

℣. Misericordia Domini a progenie in progenies.

℟. Timentibus eum.

Ad Magnificat. Antiph.

Suscepit nos Dominus in sinum, et Cor suum, recordatus misericordiae suae. Allel.

Dominica III. Julii.

In festo SS. Redemptoris.

Dupl. 2. Class. cum octava.

Ad Vesp. Antiph.

Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion, et regnabit in saeculum saeculi.

Psalm. Dixit Dominus Domino meo.

Antiph. Redemptionem misit Dominus populo suo : mandavit in aeternum testamentum suum.

Psalm. 101.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo ; in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini : * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : * et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testa-

menti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis haereditatem Gentium: * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in saeculum saeculi: * facta in veritate et aequitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Antiph. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.

Antiph. Misericordia mea, et refugium meum Dominus: susceptor meus, et liberator meus.

Psalm. 115.

Credidi propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo; * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Diripuisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini in medio tui Jerusalem.

Antiph. Misericordia mea, et refugium meum Dominus; susceptor meus, et liberator meus.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalm. De profundis clamavi.

Antiph. In quacumque die invocavero te, exaudies me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Psalm. 137.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine misericordia tua in saeculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Antiph. In quacumque die invocavero te exaudies me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Capitulum. Tobiae 3.

Benedictum nomen tuum, Deus Patrum nostrorum; qui cum iratus fueris, misericordiam facies, et in

tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

HYMNUS.

Creator alme siderum,
Æternae lux credentium,
Jesu, Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.
Commune qui mundi nefas
Ut expiares, ad crucem
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima,
Cujus potestas gloriae,
Nomenque cum primum sonat,
Et coelites, et inferi
Tremente curvantur genu.
Qui daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.
Te deprecamur ultimae
Magnum diei Judicem,
Armis supernae gratiae
Defende nos ab hostibus.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Sic terminantur hymni ad omnes Horas.

℣. Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.

℣. Et fecistis nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat Antiph.

Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum, alleluja.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum Mundi Redemptorem constituisti; et per eum, devicta morte, nos misericorditer ad vitam reparasti: concede, ut haec beneficia recolentes, Tibi perpetua charitate adhaerere, et ejusdem Redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum.

Deinde fit comm. Domin. occ.

AD MATUTINUM.

Invitat. Redemptorem saeculorum, ipsum Regem Angelorum: * Adoremus Dominum. *Psalm.* Venite, Adoremus.

HYMNUS.

Rerum Creator optime,
Rectorque noster aspice,
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.
Mentes, manusque tollimus
Prophetae sicut noctibus
Nobis gerendum praecipit
Paulusque gestis censuit.
Te, sancte Christe, poscimus;
Ignosce culpis omnibus,
Ad confitendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Psal. 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es; * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes

adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto tuo.

Antiph. Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Psalm. seq. 8. *incipit a secundo* ℣. Quoniam elevata est etc.

Domine, Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua, * super coelos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, et ultorem,

Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum,

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pecora campi,

Volucres coeli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Antiph. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Antiph. Dominus in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes ejus.

Psalm. 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae meae: * transmigra in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Dominus in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes ejus.

℣. Redime me Domine, et miserere mei.

℟. In Ecclesiis benedicam te Domine.

De Isaia Propheta. *Cap.* 51.

Lect. I.

Audite me, qui sequimini quod justum est, et quaeritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus; et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Attendite ad me popule meus, et tribus mea audite; quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est Salvator

meus et brachiа mea populos judicabunt, me insulae expectabunt, et brachium meum sustinebunt.

℣. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et plena erat omnis terra majestate ejus: * Et ea quae sub ipso erant, replebant templum.

℟. Seraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae alteri — Et ea.

Lect. II.

Levate in coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Audite me, qui scitis Justum, populus lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

℟. Aspice Domine de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, et audi: * Aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram.

℣. Qui regis Israel, intende; qui deducis velut ovem Joseph — Aperi.

Lect. III.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis? qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt, fugiet dolor, et gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi faenum ita arescet? Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit coelos, et fundavit terram: et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum, ubi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internicionem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dominus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et judicas aequitatem, esto refugium pauperum in tribulatione: * Quia tu solus laborem et dolorem consideras.

℣. Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor — Quia tu — Gloria Patri — Quia tu.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Psalm. 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum; * et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de coelo sancto suo: * in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus, et hi in equis: * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt et ceciderunt: * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine salvum fac regem: * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Antiph. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

Antiph. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde; * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Antiph. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Antiph. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

Psalm. 45.

Deus noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini, suae posuit prodigia super terram: auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confriget arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Antiph. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.

℣. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

Sermo S. Leonis Papae.

Serm. 1. *de Jejun.* 10. *mens.*, *et collectis.*

Lect. IV.

Si fideliter, dilectissimi, atque sapienter creationis nostrae intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei con-

ditum, ut imitator sui esset auctoris; et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis, quasi in quodam speculo, divinae benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostrae non est, nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret; et tenebras ignorantiae nostrae suae veritatis luce discuteret.

℟. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: * Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

℣. Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei — Propter hoc.

Lect. V.

Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suae bonitatis inveniat, dat unde ipsi quoque quo operatur, operemur; accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen parilitas voluntatum saepe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optandum, atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt placita, discrepemus. De quo dicit Propheta: Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus; quia non aliter nobis erit dignitas divinae Majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis.

℣. Intuere, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis: sedet in tristitia domina gentium: * Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus noster.

℟. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus — Non est.

Lect. VI.

Dicente itaque Domino: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum, suscipiat fidelis anima auctoris sui, atque Rectoris immarcescibilem charitatem, totamque se etiam ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus, atque judiciis nihil a miseratione clementiae. Quoniam etsi magnis quis laboribus, et multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi, qui se adversis vel corrigi intelligit, vel probari.

℟. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino: * Et facta est laetitia magna in populo.

℣. In hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum — Et facta — Gloria Patri — Et facta.

IN III. NOCTURNO.

Antiph. Ego autem ad Deum clavi, et Dominus salvabit me.

Psalm. 60.

Exaudi Deus deprecationem meam: * intende orationi meae.

A finibus terrae ad te clamavi: * dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea: * turris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula:* protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjicies: *

annos ejus usque in diem generationis, et generationis.

Permanet in aeternum in conspectu Dei: * misericordiam et veritatem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi, * ut reddam vota mea de die in diem.

Antiph. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Antiph. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Psalm. 74.

Confitebimur tibi Deus: * confitebimur, et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: * cum accepero tempus ego justitia judicabo.

Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea: * ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis: nolite inique agere: * et delinquentibus: nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat: * quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fex ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatores terrae.

Ego autem annuntiabo in saeculum: * cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * et exaltabuntur cornua justi.

Antiph. Deus meus, salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Antiph. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

Psalm. 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea, * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum, * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus Deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam abitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum beatus homo, qui sperat in te.

Antiph. Protector noster aspice Deus et respice in faciem Christi tui.

℣. Notam fecisti in Gentibus virtutem tuam.

℟. Redemisti in brachio tuo populum tuum.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lect. VII. *Cap.* 5.

In illo tempore : Dixit Jesus Nicodemo : Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Tract.12.in Cap. 3.Joann.

Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit. Descendit enim et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisus, mortem occidit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diaboli invidiam, intravit in mundum. Deus mortem non fecit, scriptura loquitur : nec laetatur, inquit, in perditionem virorum : creavit enim, ut essent omnia. Sed quid ibi ait? Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adactus; non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentires, nihil invexerat diabolus: consentio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati; et ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales : Jesus autem Filius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, unicus aequalis Patri, mortalis factus est, quia Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. Si ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in Cruce, de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos commemoravit illud Dominus.

℟. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit, dicens : opus manuum mearum tu es haereditas mea Israel.

℣. Beata gens, cujus est Dominus Deus, populus electus in haereditatem — Quem Dominus.

Lect. VIII.

Et sicut, inquit, Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in Cruce. Quia enim a serpente mors per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentum lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors : ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitae. Nonne vita Christus? Et tamen mortuus est Christus. Interim modo, fratres, ut a peccato sanemur, Christum Crucifixum intuamur : quia sicut Moyses, inquit, exaltavit serpentem in eremo; ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non periebant morsibus serpentum : sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum : Sed illi sanabuntur a morte ad vitam temporalem : hic autem ait, ut habeant vitam aeternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem et rem ipsam : figurata praestabat vitam temporalem : res ipsa, cujus illa figura erat, praestat vitam aeternalem.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum : * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth : * Plena est omnis terra gloria ejus.

℣. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt — Sanctus — Gloria Patri — Plena.

Lect. IX. legitur de Homil. Domin. occurr.

AD LAUDES.

Antiph. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra.

Antiph. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam; quia factus est mihi in salutem, alleluja.

Antiph. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

Antiph. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.

Antiph. Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

Capitulum. *Tob.* 3.

Benedictum nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiam facies; et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

HYMNUS.

Salutis humanae Sator,
Jesu voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium.
Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?
Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias;
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣ Domine, refugium factus es nobis.

℟. A generatione, et progenie.

Ad Benedictus. Antiph.

Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos: sustinuimus eum, exultabimus, et laetabimur in salutari ejus, alleluja.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum, mundi Redemptorem constituisti; et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti: concede, ut haec beneficia recolentes, tibi perpetua charitate adhaerere, et ejusdem redemptionis fructum percipere mereamur. Per eumdem Dominum.

Deinde fit comm. Domin. occ.

AD PRIMAM.

In ℟. *bre.* Qui redemisti mundum.

AD TERTIAM.

Antiph. Ecce Deus.

Capitulum. Benedictum nomen tuum.

℟. *brev.* Redime me Domine:* Et miserere mei — Redime.

℣. In Ecclesiis benedicam te Domine — Et miserere mei — Gloria Patri — Redime me Domine.

℣. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui.

℟. Visita nos in salutari tuo.

AD SEXTAM.

Antiph. Haurietis aquas.

Capitulum. 1. ad cor.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis Sapientia a Deo, et justitia, et sacrificatio, et Redemptio.

℟. *brev.* Memento nostri, Domine, * in beneplacito populi tui — Memento.

℣. Visita nos in salutari tuo — In beneplacito — Gloria Patri — Memento.

℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

AD NONAM.

Atiph. Exulta, et lauda.

Capitulum *Apoc.* 4.

Dignus es Domine Deus noster ac-

cipere gloriam, et honorem, et virtutem, quoniam occisus es, et redemisti nos Deus in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione; et fecisti nos Deo nostro regnum.

℟. *brev.* Notam fecisti in populis* virtutem tuam — Notam.

℣. Redemisti in brachio tuo populum tuum — Virtutem tuam — Gloria Patri. — Notam.

℣. Domine refugium factus es nobis.

℟. A generatione, et progenie.

In II. Vesperis omnia ut in primis.

℣. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat. Antiph.

Regnum tuum Regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione, et generationem, alleluja.

In die Octava SS. Redemptoris.

Omnia ut in die Festo: sed Lect. I. Noct. de scr. occ. Lect. vero II. et III. Noct. sumuntur in V. die infr. Oct. scilicet de Sermone S. Bernardi Abbatis, Suscepimus *etc.*

Dominica ultima Augusti.

Festum Purissimi Cordis.

B. M. V. *Dupl. maj.*

In I. Vesperis.

Antiph. O admirabile, et omni laude dignissimum Cor Mariae Virginis, in quo Deus Pater regnum dilectionis suae constituit.

Psalm. Dixit Dominus etc. *cum reliq. ut in Offic. parvo B.M.V.*

Antiph. Elegit Mariam Unigenitus Patris ab aeterno, et praeelegit eam, ut dignum sibi in Corde ejus praepararet habitaculum.

Antiph. Beatum Cor Dei Genitricis Mariae, sacrarium Spiritus Sancti, in quo inhabitat plenitudo charitatis.

Antiph. Corde magno, et animo volenti Christo canamus gloriam in hac solemnitate sanctissimi Cordis praecelsae Genitricis ejus Mariae.

Antiph. Cum jucunditate laudes beatissimi Cordis Virginis Mariae celebremus, ut ipsa pro nobis intercedente, secundum Cor Filii ejus effici mereamur.

Capitulum. *Cant.8.*

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.

HYMNUS.

Jesu Mariae gloria,
 Praeclara Cordis Virginis
 Cor intonat praeconia,
 Nostris adesto canticis.
Miranda Matris viscera,
 Miranda sunt et ubera,
 Regale sed Cor omnibus
 Miraculis praestantius.
Quem sacra paucis mensibus
 Portavit alvo parvulum;
 Hanc Cor prius sacratius
 Semperque gestat Virginis.
Cor aula regnum Principis,
 Coelumque coeli splendidum;
 Templum Superni Spiritus,
 Altare pacis aureum.
Arca quid ista sanctius?
 Thesaurus orbis, omnia
 Collata nobis coelitus
 Servans Dei mysteria.
Ave Cor admirabile
 Amore, Jesu flammeum,
 Te sentiant amabile
 Qui te colunt Rex cordium.

Pars nostra, spes, et gaudium,
Coetusque nostri gloria,
Amor perennis omnium
Jungat tibi praecordia.
O Jesu amor, Cor et Patris,
Cor esto mentis unicum
Amor regens cor Virginis,
Dux solus esto supplicum.
O Sacrosancta Trinitas,
Æterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas
In corde regnet omnium. Amen.

℣. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

℟. Ut faciam omnes voluntates tuas.

Ad Magnificat. Ant.

O Mater amabilis, beatam te dicent omnes generationes, quia respexit Deus humilitatem Cordis tui, et invenit te secundum cor suum. *Allel.*

Oremus.

Deus, qui Unigenitum tuum in Corde tuo ab aeterno viventem, in Corde Virginis Matris vivere et regnare in aeternum voluisti; da nobis quaesumus hanc sanctissimam Jesu et Mariae in Corde uno vitam jugiter celebrare; cor unum inter nos, et cum ipsis habere; tuamque in omnibus voluntatem corde magno, et animo volenti adimplere; ut secundum Cor tuum a te inveniri mereamur. Per eumdem Dominum.

Ad Matutinum.

Invitat. Jesum, qui est amor, et vita nostra, in Corde Mariae regnantem * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus etc.

HYMNUS.

Jesu suum Cor tradidit,
Suumque Mater praebuit,
Per quae petamus exules
Patrem supernae gloriae.
Cor sanctitatis formula,
Cordis fidelis regula,
Dignum Dei Sacrarium,
Cubile Jesu floridum.
Te candidata lilia,
Nardus, rosaeque fulciunt,
Te mala coeli dulcia
Amore languentem ambiunt.
Cor Matris Agni melleum,
Amoris igne torridum,
Te corda nostra diligant,
Tuos amores exprimant.
Sidus micans amantium,
Sol esto, duxque mentibus,
Fornax amoris, omnium
Accende flammas cordibus.
Redempta Christi gratia
Fac corda Christo vivere,
Calcare mundi somnia,
Se tota Jesu tradere.
Fac nos dolosi frangere
Fraudes malignas Tartari;
Vita tua convivere,
Amore Christi commori.
Amor sacri fons nectaris,
Mentes replens inebria:
Cordis sagitta Virginis
Transfige cordis intima.
O Sacrosancta Trinitas,
Æterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas
In corde regnet omnium. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Maria tradidit Cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit eam, et in conspectu Altissimi deprecata est, et ipse tribuit ei omnia secundum Cor ejus.

Psalm. 8.

Domine, Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super coelos.

Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam, et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves, et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli, et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri etc.

Ant. Maria tradidit Cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit eam, et in conspectu Altissimi deprecata est, et ipse tribuit ei omnia secundum Cor ejus.

Ant. Praeparavit Cor suum Domino, et dilexit illum solum Corde perfecto; et ipse liberavit eam ab omnibus inimicis ejus.

Psal. 18.

Coeli enarrant gloriam Dei, * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelae, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terrae verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad currendam viam, * a summo coelo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est, qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele sapientiam, praestans parvulis.

Justitiae Domini rectae, laetificantes corda: * praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum; * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit eam, * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: * et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, * et redemptor meus.

Gloria Patri etc.

Ant. Praeparavit Cor suum Domino, et dilexit illum solum Corde perfecto; et ipse liberavit eam ab omnibus inimicis ejus.

Ant. Omni custodia servavit Cor suum; ideo delectata est in Domino, et dedit illi petitiones Cordis ejus.

Psalm. 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domi-

ni ? * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens manibus, et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino : * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales : * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae ? * Dominus fortis et potens : Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales : * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri etc.

Ant. Omni custodia servavit Cor suum ; ideo delectata est in Domino, et dedit illi petitiones Cordis ejus.

℣. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

℟. Ut faciam omnes voluntates tuas.

De Canticis Canticorum.

Lect. I. *Cap.* 4.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbrarum, absque eo quod intrinsecus latet. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni : coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Tu autem Domine etc.

℟. Beata es Virgo Maria, et beatissimum Cor tuum, thronus omnium virtutum, templum Sanctae Trinitatis, fornax divini amoris ; * Sola sine exemplo dilexisti Dominum nostrum Jesum Christum ex toto corde tuo.

℣. Ipse Pater amat te, quia tu amasti Filium ejus unicum. Sola.

Lect. II. *Cap.* 5.

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa ; messui myrrham meam cum aromatibus meis : comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo : comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi. Ego dormio, et cor meum vigilat : vox dilecti mei pulsantis : Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

℟. Felix es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia Christum per fidem, et dilectionem in Corde tuo formasti. * Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus Cordis tui Jesu.

℣. Hic est Deus Cordis mei et pars mea in aeternum. Benedicta.

Lect. III.

Cap. 8.

Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum ? Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum ; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus

siiae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, et circumdabant Cor ejus flores rosarum, et lilia convallium; ipsa autem voce magna clamabat* Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Flores tui fructus honoris et honestatis—Fulgite—Gloria Patri. Fulgite.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Omnis gloria Filiae Regis ab intus. De bono thesauro Cordis ejus proferuntur omnia bona.

Psal. 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribae; * velociter scribentis.

Speciosus forma prae filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in aeternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua:* intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem:* propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Myrra et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis:* ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: * circumdata varietate.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in muneribus, * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines post eam * proximae ejus afferentur tibi.

Afferentur in laetitia et exultatione; * adducentur in templum regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum: * et in saeculum saeculi. Gloria Patri ec.

Ant. Omnis gloria filiae Regis ab intus. De bono thesauro Cordis ejus proferuntur omnia bona.

Ant. Veni dilecta Cordis mei, et praebe mihi Cor tuum, et ponam in eo thronum meum, et regnum Filii dilectionis meae.

Psal. 45.

Deus noster refugium et virtus;* adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram:* auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate et videte, quoniam ego sum Deus :* exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri ec.

Ant. Veni dilecta Cordis mei, et praebe mihi Cor tuum, et ponam in eo thronum meum, et regnum Filii dilectionis meae.

Ant. Confirmatum est Cor Virginis, quae Altissimi Filium in utero concepit.

Psal. 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis; * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te: * Civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis,* scientium me.

Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Æthiopum: * hi fuerunt illic.

Nunquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum. * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut laetantium omnium * habitatio est in te.

Gloria Patri ec.

Ant. Confirmatum est Cor Virginis, quae Altissimi Filium in utero concepit.

℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus.

℟. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

Lect. IV.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. 9. *De Visitat.*

Quis mortalium, nisi divino tutus, vel fretus oraculo, de vera Dei, et hominis Genitrice quidquam modicum, vel grande praesumat incircumcisis, et impollutis labiis dicere, quam Pater ante saecula Deus in perpetuam, et dignissimam Virginem praedestinavit, Filius elegit in Matrem, Spiritus Sanctus omnis gratiae domicilium praeparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis sanctissimo ore prolatos efferam? Quibus non sufficit lingua omnium hominum, et etiam Angelorum. Dominus enim ait: bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quid autem inter puros homines melior potest excogitari, quam illa, quae meruit effici Mater Dei, quae in corde, et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse Divinus Amor, quo velut fornace Cor Virginis ardens erat?

℟. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei. * Paratum cor meum Deus cordis mei, paratum cor meum.

℣. Vocaberis voluntas mea in corde tuo—Paratum.

Lect. V.

De hoc igitur Corde, quasi de fornace Divini ardoris Virgo beata protulit verba bona, idest verba ardentissimae charitatis. Sicut enim

a vase summo, et optimo vino pleno, non potest exire, nisi optimum vinum: aut sicut a fornace summi ardoris non egreditur, nisi incendium fervens: sic de Corde Matris Christi exiri non potuit verbum, nisi summi, summeque divini amoris, atque ardoris. Sapientis Dominae, atque Matronae est, pauca verba, solida tamen, atque sententiosa habere. Proinde septem vicibus, quasi septem verba tantum mirae sententiae, ac virtutis a Christi benedictissima Matre leguntur dicta, ut mistice ostendatur ipsam fuisse plenam gratia septiformi. Cum Angelo bis tantummodo locuta est: quomodo fiet istud! Et Ecce ancilla Domini. Cum Elisabeth bis etiam, scilicet illam salutando, et Deum laudando, cum ait: Magnificat anima mea Dominum. Cum Filio etiam bis, semel in templo: Fili, quid fecisti nobis sic? et in nuptiis: Vinum non habent. Cum ministris semel: Quodcumque dixerit vobis, facite. Et in his omnibus, semper valde parum locuta est, excepto quod in laude, et gratiarum actione se amplius dilatavit, scilicet cum ait: Magnificat anima mea Dominum; ubi non cum homine, sed cum Deo locuta fuit.

℟. Magnificate Deum Patrem mecum, et exaltemus Nomen ejus in idipsum, quia dedit mihi Cor suum, Filium ejus unicum: * Hic est Filius meus dilectus, et Cor meum amantisssimum.

℣. Magnificent Deum Patrem omnes generationes, et exaltent sanctissimum Cor suum Jesum, Filium ejus unicum. * Hic est.

Lect. VI.

Haec septem verba, secundum septem amoris processus, et actus, sub miro gradu, et ordine prolata, sunt quasi septem flammae fornacei Cordis ejus. Quae verba considerans, atque ruminans mens devota cum ipso Propheta ait: Quam dulcia faucibus meis, idest omnibus affectibus, eloquia tua? Porro dulcedo haec, quam in verbis beatae Virginis devota mens sentit, est ardor piae devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Dicat igitur mens devota: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Distinguamus vero per ordinem has septem flammas amoris verborum Virginis benedictae. Prima est flamma Amoris separantis: Secuuda, Amoris transformantis; Tertia, Amoris communicantis; Quarta, Amoris jubilantis; Quinta, Amoris superantis; Sexta, Amoris compatientis; Septima, Amoris consumantis.

℟. Corde et animo Christo canamus gloriam, qui Cor suum dedit Sanctissimae Matri suae, et Spiritum suum posuit in medio ejus, ut sint * Cor unum, et anima una.

℣. Benedictum sit in aeternum et ultra Cor sanctissimum Jesu, et Mariae.— Cor unum. Gloria Patri. Cor unum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ego dormio, et cor meum vigilat; et meditatio cordis mei in conspectu Dei semper.

Psal. 95.

Cantate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et lau-

dabilis nimis : * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium daemonia : * Dominus autem coelos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : * sanctimonia, et magnificientia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae Gentium, afferte Domino gloriam et honorem:* afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus : * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur : * judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra ; commoveatur mare, et plenitudo ejus ; * gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrae in aequitate : * et populos in veritate sua.

Gloria Patri ec.

Ant. Ego dormio, et cor meum vigilat; et meditatio cordis mei in conspectu Dei semper.

Ant. Beata es Maria, quae Dominum portasti creatorem mundi; sed beatissima, quia prius, et felicius portasti eum Corde, quam ventre.

Psalm. 96.

Dominus regnavit exultet terra:* laetentur insulae multae.

Nubes et caligo in circuitu ejus: justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet : * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae:* vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini : * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt coeli justitiam ejus:* et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia : * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et laetata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judae : * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram : * nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum:* custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo : * et rectis corde laetitia.

Laetamini justi in Domino : * et confitemini memoriae sanctificationis ejus.

Gloria Patri ec.

Ant. Beata es Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi; sed beatissima quia prius, et felicius portasti eum Corde, quam ventre.

Ant. Ego Mater pulchrae dilectionis; et agnitionis, et sanctae spei : ego diligentes me diligo.

Psalm. 97.

Cantate Domino canticum novum:* quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus : * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae: * et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae:* salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra : * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara, et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in conspectu regis Domini: * moveatur mare, et plenitudo ejus: orbis terrarum et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate.

Gloria Patri ec.

Ant. Ego Mater pulchrae dilectionis, et agnitionis, et sanctae spei; ego diligentes me diligo.

℣. Omnis spiritus laudet Dominum.

℟. In Corde regnantem Mariae.

Lect. VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam *Cap.* 2.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethelem, et videamus, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

Homilia Sancti Bonaventurae Episc.

In Cap. 2. S. Lucae.

Hic commendatur Pastorum diligentia a certitudine inventionis, cujus laus ex tribus colligitur; scilicet quia fuit certissime comprobata, celeriter divulgata, et studiose conservata. Primo quidem fuit certissime comprobata. quia per probabilia signa, et evidentia, propter quod dicitur: Et invenerunt Mariam, et Joseph, et Infantem positum in praesepio. Ideo invenerunt, quia sollicite quaesierunt, et absque fictione. Et nota quod invenitur cum Maria Virgine, et Joseph viro justo, et in praesepio; quia eum, qui vult Christum invenire, oportet habere munditiam cordis respectu sui, justitiam respectu proximi, humilitatem et reverentiam respectu Dei. Non solum fuit certissime comprobata, sed et celeriter divulgata. Propterea subditur; Et omnes qui audierant mirati sunt, scilicet de parvulo nato, et de his, quae dicta erant a Pastoribus ad ipsos; quae scilicet audierant ab Angelo.

℟. Audite filii, et scitote, quia vos estis in corde meo ad conviven- dum, et ad commoriendum. Discite ergo a me, quia mitis sum, et humilis corde: * Et invenietis requiem animabus vestris.

℣. Ponite hoc in cordibus vestris, et omnia vestra in humilitate, et charitate fiant. Et invenietis.

Lect. III.

Fuit tertio studiose conservata, unde subditur: Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo, tanquam prudens et discreta, secundum illud: Misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui. Et in Ecclesiastico: Qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. Unde dicitur de fatuo: Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Unde Cor Virginis fuit Arca continens divinorum eloquiorum arcana. Et ideo per arcam Moysi designantur, de qua dicitur, quod continebat tabulas Legis divinae. Et quia non solum conservabat, sed etiam intelligebat, ideo additur: conferens ea in Corde suo; ita ut

posset dicere illud: In corde meo abscondi eloquia tua.

℟. Omnis spiritus laudet te, Domine; et omnes virtutes tuae benedicant tibi, * Quia regnum pulchrae dilectionis, et thronum gloriae Majestatis tuae in Corde Mariae posuisti in aeternum.

℣. Tibi laus, tibi honor tibi gloria, o beata Trinitas. Quia — Gloria Patri. Quia.

Lect. IX.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo. Hic describitur ejus clarificatio, et hoc per duo, scilicet per Matris testimonium, et per propriae virtutis indicium. Quantum ad Matris testimonium dicitur: Et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo, ut pro loco, et tempore testimonium perhiberet. Sic dictum est: Tu autem Daniel claude sermones; et signa librum usque ad tempus statutum. Et quia hoc intelligebat, ideo dicitur: In Corde tuo, secundum illud: Tempus ad responsionem cor sapientis intelligit. Et dicitur de transfiguratione Domini, quod Discipuli verbum continuerunt apud se.

Te Deum laudamus ec.

Ad Laudes

Ant. O beatum Cor Mariae Virginis, Arca sanctitatis, in qua sunt omnes thesauri gratiae et charitatis absconditi.

Ant. Invenit Deus Mariam secundum Cor suum: quae enim placita sunt ei, fecit semper, corde magno, et animo volenti.

Ant. Beata es, Maria, quae Deum amasti in toto corde tuo; et fecisti omnes voluntates ejus.

Ant. Benedictum Cor tuum, o Maria, fons vivus benedictionis, abyssus gratiae, fornax amoris, thronus divinae voluntatis.

Ant. Gratia, pax, et gaudium omnibus cordibus, quae diligant Cor amantissimum Jesu, et Mariae.

Capitulum.

Cant. 8.

Pone me ut signaculum super Cor tuum; ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est, ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.

HYMNUS

Quid Corde Matris Virginis
Coeli pot st sacratius?
Cordi Supremi Numinis
Quid corde tanto gratius?
Amoris est miraculum,
Triumphus almi Spiritus;
Dignum Deo spectaculum,
Foecunda spes mortalibus.
Levamen est lugentibus,
Zelator ardor mentium:
Cunctis datum fidelibus,
Cor, Vita, Lux, Oraculum.
O qualis haec benignitas!
Nostrum sibi cor abstulit
Jesu et Parentis charitas,
Suum nobis et contulit.
Cordisque Jesu imaginem
In Corde vestro pingite;
Cordisque Matris nobilem
In mente formam sculpite.
O Cor, Dei triclinium,
O exilii solatium;
Immensa sunt magnalia;
Immensa sint praeconia.
O Sacrosanta Trinitas,
Æterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas
In corde regnet omnium. Amen.

℣. Vivet Cor Mariae, et laetabitur in Domino.

℣. Amabit eum in saeculum saeculi.

Ad Benedictus.

O Mater admirabilis, magnificent te omnes gentes; et benedicant fidelissimum Cor tuum in aeternum omnes populi.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum tuum in Corde tuo ab aeterno viventem, in Corde Virginis Matris vivere, et regnare in aeternum voluisti; da nobis quaesumus hanc sanctissimam Jesu, et Mariae in corde uno vitam jugiter celebrare; cor unum inter nos, et cum ipsis habere; tuamque in omnibus voluntatem corde magno, et animo volenti adimplere, ut secundum cor tuum a te inveniri mereamur. Per eumdem.

Ad Primam.

Ant. O beatum Cor.

Lectio brevis. **Luc. 2.**

Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis: et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. Deo gratias.

Ad Tertiam.

Ant. Invenit Deus.

Capitulum Pone me, *ut supra*

℟. *breve.* Paratum Cor meum, Deus, * Paratum Cor meum: — Paratum.

℣. Ut faciam voluntates tuas — Paratum.

Gloria Patri. Paratum.

℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus.

℟. Preparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

Ad Sextam.

Ant. Beata es Maria.

Capitulum.

Omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

℟. *breve.* Desiderium Cordis Mariae * Audivit Dominus — Desiderium.

℣. Preparationem Cordis ipsius audivit auris ejus — Audivit Dominus— Gloria Patri—Desiderium.

℣. Omnis spiritus laudet Dominum.

℟. In Corde regnantem Mariae.

Ad Nonam.

Ant. Gratia.

Capitulum.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. *breve.* Omnis spiritus * Laudet Dominum — Omnis spiritus.

℣. In corde regnantem Mariae. Laudet Dominum. Gloria Patri. Omnis.

℣. Vivet Cor Mariae, et laetabitur in Domino.

℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

In 2. Vesperis.

Ant. O admirabile, et venerandum Cor Mariae Virginis, in quo omnis fons, et plenitudo charitatis, Christus Jesus, inhabitat, vivit, et regnat in aeternum.

Psalmi ut in primis Vesp.

Ant. O verum altare holocausti, in quo ignis divinus semper accenditur; et sacrificium laudis, et amoris Deo jugiter immolatur.

Ant. Christus Jesus, hostia sancta, semel in ara crucis, multoties in altari Cordis Virginis aeterno Patri oblatus est.

Ant. Beatum Cor tuum, o Maria, speculum sanctissimum vitae Christi, et imago perfecta Passionis, et Mortis ejus.

Ant. Audite filii, et ponite hoc in cordibus vestris: discatis a me, quia mitis sum, et humilis corde.

Capitulum. Pone me, *ut supra ad Laud.*

HYMNUS.

Quem turma coeli personat
In corde natum jam Patris;
Hunc totus orbis concinat
In corde Regem Virginis.
Hoc corde quid sublimius?
Abyssus alta gratiae,
Currus triumphans igneus;
Thronusque Regis gloriae.
Thesaurus est charismatum,
Astris jubar fulgentius:
Coeli decus, sol, gaudium
Coelumque coelis alitus.
Summi Patris signaculum,
Vitae Dei compendium:
Sedes Tonantis ignea,
Turris salutis flammea.
Nos ergo tantae Virginis,
Cordisque tam mirabilis,
Colamus omnes servuli
Flexo genu magnalia.
Eja Parens, cor supplicum
Intra tuum serva sinum;
Amor Jesu ut langueat,
Amore Matris ferveat.
O Virgo, magnes cordium,
Da cor tuum colentium
Sursum rapi praecordia,
Ubi suprema gaudia.
O fax amanda cordium!
Flammis sacris non devora:
Fac ut crementur omnium
Amore Jesu pectora.
O Sacrosancta Trinitatis,
Æterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas
In corde regnet omnium.
Amen.

℣. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

℟. Ut faciam omnes voluntates tuas.

Ad Magnificat Ant.

Exultet Cor tuum, o Maria, in Deo salutari tuo: quia fecit tibi magna, qui potens est. *Oratio.* Deus, qui etc. *ut supra.*

Domica I. Septembris.

In festo S. Philumenæ V. et M.

Duplex.

Offic. de comm. Virg. et Mart. praet. seq. Oratio Deus, qui inter caetera, *ut in eod. comm.*

Lect. I. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. IV.

Inter caetera martyrum sepulchra, quae in Coemeterio Priscillae ad Viam Salariam reperiri solent, illud extitit, quo repositum fuerat sanctae Philumenae corpus, ubi ex tumuli Inscriptione tribus laterculis apposita perlegebatur. Licet vero inventa ibidem fuerit phiala sanguinis et alia insculpta conspicerentur martyrii insignia, dolendum tamen est res ab eadem gestas, actaque, ac genus martyrii, quod ipsa fecit obscura perstitisse. Caeterum, ubi primum sacrum hoc corpus, ex beneficentia Pii septimi initio Pontificatus ejus acceptum, cultui fidelis populi propositum fuit Mugnani in Nolana dioecesi, ingens illico famae celebritas, ac religio erga sanctam Martyrem percrebuit, praesertim ob signa, quae ejusdem praesidio accidisse undique ferebatur. Hinc factum est ut complurium Antistitum, cultorumque Martyris postulationibus, permotus Gregorius XVI. Pontifex Maximus, universae rei ratione mature perpensa, Festum ejusdem cum Officio et Missa in memorata Nolana dioecesi, et alibi agendum benigne permiserit.

Lect. V. et VI. Sermo S. Ambrosii Episcopi, Quoniam hodie natalis est Virginis etc. *de eod. comm. 1. loco.*

In III. Noct. Homil. in Evang. Simile erit Regnum coelorum decem Virginibus.

Dominica ultima Septembris.

In festo B. M. V. Divini Pastoris Matris.

Dup. Maj.

Ad Vesperas.

Ant. Sonet vox tua etc. *cum reliq. de Laud. Psalmi ut in Off. parvo.*

Capitulum. Eccl. 24.

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam; et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

HYMNUS.

Ave Maris stella, etc.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat. Ant.

Sicut Pastor gregem suum pascet; in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit.

Oratio.

Deus, qui universum mundum ineffabili providentia regis atque gubernas; praesta nobis famulis tuis, ut intercedente Beata Maria semper Virgine, quae vigili custodia nos pascit ab hostibus defensi, et fructus tui dulcedine satiati ad caelestem patriam securi perducamur. Per Dominum.

In fine Hymn. Compl. et Hor. dicitur.

Jesu tibi sit gloria. Qui natus etc.

Ad Matutinum.

Invit. Sancta Maria Divini Pastoris Mater, * Intercede pro nobis.

Psalm. Venite exultemus etc.

Hymn. Quem terra; etc.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt; ibi dabo tibi ubera mea. *Psal. ut in Off. parvo.*

Ant. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo.

Ant. Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Lect. I.

De Parabolis Salomonis.

Cap. 8. et 9.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas; mea est prudentia; mea est fortitudo. Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.

℟. Sicut vigilavi super eos, ut evellerem, et demolirem, et dissiparem, et disperderem, et affligerem: * Sic vigilabo super eos, ut edificem, et plantem.

℣. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso. Sic vigilabo.

Lect. II.

Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram;

necdum fontes aquarum eruperant; necdum montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos, aderam: quando certa lege, et gyro vallabat abyssos; quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terrae. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii audite me, beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam et estote sapientes, nolite abjicere eam.

℟. Anima mea desideravit te in nocte: * Sed et spiritu meo in praecordiis meis; de mane vigilabo ad te.

℣. Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis. Sed et spiritu.

Lect. III.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad maenia civitatis: si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

℟. Sicut visitat Pastor gregem suum in die: * Quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum.

℣. Sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in die nubis, et caliginis—Quando fuerit. Gloria Patri—Quando fuerit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam.

Ant. Congregabit eum et custodiet eum, sicut Pastor gregem suum.

Ant. Laeva ejus sub capite meo, es dextera illius amplexabitur me.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Lect. IV.

Sermo S. Bernandi Abbatis.

Ex Serm. in Cap. 12. Apoc. ant. med.

Amplectamur Mariae vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem, et aream; mulier inter solem et lunam; Maria inter Christum, et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris non vellus opertum, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis et mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris. Moyses sancte, et curiosius desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum; si accedere concupiscis.

℟. Super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret! * Ecce ego requiram oves meas, et visitabo eas.

℣. Custodit illas ab inimicis, et a seductoribus tutavit illas. Ecce ego.

Lect. V.

Ejusd. in Assumpt. B. M. V. in fine.

Jam te Mater misericordiae, per ipsum sincerissimae tuae mentis effectum, tuis jacens provoluta pedibus Luna, idest Ecclesia, Mediatricem sibi apud solem justitiae constitutam, devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, et solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit, et ornavit, stolam gloriae induens, et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore caelesti, innixa super Dilectum deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos, Domina; ipsi quoque catuli de micis edant: nec puero Abrahae tantum, sed et camelis potum tribuas de super effluenti hydria tua.

℟. Custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus: * Et in cunctis populis, per quos transivimus.

℣. Posuerunt me custodem in vineis. Et in cunctis.

Lect. VI.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 18. de Sanctis in med.

Beata Maria, accipe quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones; et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum et in te, Beatissima, nostrorum est expectatio praemiorum. Accipe insuper obsequium famulorum tuorum in hac regione degentium, qui in multis, magnisque periculis a te adjuti, in grati animi argumentum, et in memoriam beneficiorum defensionis, et protectionis, a Pio Septimo Pontifice Maximo in tui honorem festivitatem hanc sub titulo Divini Pastoris Matris consecuti sunt, ut Fideles omnes te Custodem vigilantem, ac coelestia pabula suppeditantem cognoscant, invocent, et revereantur.

℟. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: * Et fructus eius dulcis gutturi meo.

℣. Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Et fructus. Gloria Patri. Et fructus.

In III. Nocturno.

Ant. Favus distillans labia tua; mel, et lac sub lingua tua.

Ant. Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos.

Ant. Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.

℣. Elegit eam Deus, et praelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lect. VII.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

In illo tempore: Stabat iuxta Crucem Jesu Mater ejus, et Soror Matris eius Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Beati Petri Damiani.

Ex Serm. 1. Nativ. B. M. V. in fin.

Virgo Dei Genitrix cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, sub-

Veni, Domina, clamantibus jugiter: revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Tu benedicta, et superbenedicta, revertere primo per naturam. Numquid quia ita deificata, ideo nostrae humanitatis oblita es? Nequaquam Domina: scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui: non enim convenit tantae misericordiae, tantam miseriam oblivisci, quia etsi subtrahit gloria, revocat natura; non enim ita memoraris iustitiae Dei solius, ut misericordiam non habeas; neque ita es impassibilis, ut non sis compassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, et justum est, ut de rore tantae pietatis diffusi infundamur.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: * Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.

℣. Ego dilecto meo, et ad me conversio eius. Donec.

Lect. VIII.

Revertere secundo per potentiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo, et in terra. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuae potentiae poterit obviare, quae de carne tua, carnis suscepit originem? Accedis enim ante illum aureum humanae reconciliationis altare non solum orans, sed imperans, Domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat; quia quanto potentior, tanto misericordior esse debes. Potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle, cum possit. Revertere tertio per amorem. Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te, et per te Filius tuus, et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeres iram Judicis, cum justitiae virtus a praesentia Deitatis egreditur? Revertere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, et sola electa es, cui gratia conceditur. Absit, ut cesset manus tua, cum occasionem quaeras salvandi miseros, et misericordiam effundendi, neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum poenitentes ad veniam iustificati, ad gloriam assumuntur. Revertere ergo Sunamitis, idest despecta, cujus animam pertransivit gladius, quae fabri uxor appellata fuisti. Ad quid? Ut intueamur te. Summa gloria est post Deum te videre, adhaerere tibi, et in tuae protectionis munimine demorari. Audi nos, nam et Filius nihil negans honorat te, qui est Deus benedictus in saecula saeculorum.

℟. Congregabo oves de terris, et inducam eas in terram suam: * Et pascam eas in montibus Israel: In rivis et in cunctis sedibus terrae.

℣. Ego pascam oves meas, et ego eas accumbere faciam — Et pascam eas in montibus Israel—Gloria Patri—In rivis.

Lect. IX. erit de hom. Dom. occ.

Si vero hoc festum transferri contingerit, 9. *Lect. dividatur.*

Ad Laudes, et per Horas.

Ant. Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Dilectus meus descendit in hortum; ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

Ant. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis,

Ant. Fons hortorum, puteus aqua-

rum viventium, quae fluant impetu de Libano.

Ant. In portis nostris omnia poma nova, et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Capit. Ab initio, *ut supra.*

Hymn. O Gloriosa Virginum etc.

℣. Pulchra es, et decora filia Jerusalem.

℟. Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Ad Benedictus. Ant.

Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Oratio

Deus, qui universum mundum ineffabili providentia regis, atque gubernas; praesta nobis famulis tuis, ut intercedente Beata Maria semper Virgine, quae vigili custodia nos pascit ab hostibus defensi, et fructus tui dulcedine satiati, ad caelestem patriam securi perducamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. Dom. occ.

In II. Vesp. omnia ut in primis.

℣. Per te salutem hauriamus, Virgo Maria.

℟. Ex charitate, et passione Christi Filii tui.

Ad Magnificat. Ant.

Cum vidisset ergo Jesus Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo: ecce Mater tua: et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

Oratio ut supra, et fit comm. Dom. occ.

Domenica 11. Octobris.

In festo Maternitatis

B. M. V. *Duplex maj.*

Antiph. Beata es Virgo Maria *cum rel. de Laud. Psalmi consueti de S. Maria, ut in ejus Offic. parvo.*

Capitulum. *Eccl. 24.*

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

Hymn. Ave Maris stella.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventri tui.

Ad Magnificat Antiph.

Cum jucunditate Maternitatem Beatae Mariae semper Virginis celebremus.

Oratio.

Deus qui de Beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Deinde fit comm. Domin. occurr. In fine hymn. Jesu tibi sit gloria etc.

Ad Matutinum.

Invitat. Maternitatem B. M. V. celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

HYMNUS.

Coelo Redemptor praetulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi caduca membra
Mortale corpus induit.
Haec Virgo nobis edidit
Nostrae salutis auspicem,
Qui nos redemit sanguine,
Poenas, crucemque pertulit.
Spes laeta nostro e pectore
Pellat timores anxios:
Haec quippe nostras lacrymas,
Precesque defert Filio.
Voces Parentis excipit,
Votisque natus annuit,
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quae Matris intactum sinum
Ditavit almo germine:
Laus sit per omne saeculum. Amen.

Antiph. et Psalm. Noct. ut in Off. parvo.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici. *Cap.* 24.

Lect. I.

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum coeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo, et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi; et in his omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor.

℟. Felix es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Ex qua ortus est sol justitiae Christus Deus noster, per quem salvati, et redempti sumus.

℣. Maternitatem Beatae Mariae Virginis cum gaudio celebremus — Ex qua.

Lect. II.

Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium, et qui creavit me requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui coelum, terramque regit, in tua se clausit visera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui—Qui.

Lect. III.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jerico. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrra electa dedi suavitatem odoris; et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

℟. Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam sanctam Maternitatem — Speciosa — Gloria Patri — Speciosa.

IN II. NOCTURNO.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ex Sermone S. Leonis Papae.

Serm. I. de Nativit. Domini.

Lect. IV.

Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu, divinam, humanamque prolem prius conciperet mente, quam corpore; et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu

Sancto, colloquio didicit angelico, nec damnum credidit pudoris Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficientia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam praeeuntis attestatione miraculi. Donatur Elisabeth inopinata foecunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et Virgini. Verbum igitur Dei Filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab aeterna morte, factus est homo.

℟. Gloriosae Virginis Mariae Maternitatem dignissimam recolamus:* Cujus Dominus humilitatem respexit, quae Angelo nuntiante, concepit Salvatorem mundi.

℣. Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate mirabilis Genitricis Dei — Cujus.

Lect. V.

Ingreditur haec infima Jesus Christus Dominus noster de coeli sede descendens, et a Paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse coepit in tempore. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria; quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret. Origo dissimilis, sed natura consimilis: hui nano usu, et consuetudine, quod credimus caret; sed divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, Virgo permanserit.

℟. Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitae communicavimus. * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos Sancta Dei Genitrix — Sola.

Lect. VI.

Oportuit, ut primam Genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium Divini spiritus virtus infusa servaret, quae statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem, ut Virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Hoc ipsum autem, quod Christus nasci eligit ex Virgine, nonne apparet altissimae fuisse rationis? ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, et spirituali latente conspectu quem non alium videret, quam alios, non aliter crederet natum esse, quam ceteros. Quod ut fieret, editus est Christus ex Virgine, quam Spiritus Sanctus foecundavit, et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit, unde concepit.

℟. Benedicta inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

Respexit humilitatem ancillae suae, et fecit mihi magna, qui potens est— Unde — Gloria Patri — Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Facit mihi magna, qui potens est.

℟. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lect. VII. *Cap. 2.*

In illo tempore: Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 1. de Laud. Virg. Matris.

Deum, et Dominum Angelorum Maria suum Filium appellat, dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod, cum sint Spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, et vocati Angeli, testante David: qui facit Angelos suos Spiritus. Maria vero Matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium; nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Evangelista: Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt: cui Principatus, et Potestates obediunt, subditus erat Mariae.

℟. Beata es Virgo Maria Dei Genitrix, quae credidisti Domino: perfecta sunt in te quae dicta sunt tibi: * Propterea benedixit te Deus in aeternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis; intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum — Propterea.

Lect. VIII.

Mirare utrumlibet, et elige quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam, quae etiam praeit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Auctore loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce superbe cinis. Deus se omnibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis auctori.* Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit foecunditas. Et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit foecunda virginitas; et incomparabilis prorsus foecunditas, quam virginitas simul comitatur, et humilitas. Quid horum non mirabile? Quid non incomparabile? Quid non singulare? Mirum vero si non haesitas in horum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet prius stupenda sit foecunditas in Virgine, an in Matre integritas? sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas? Nisi quod, indubitanter horum singulis praeferenda simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est, atque felicius omnia percepisse quam aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis cernitur, et legitur in sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem. Vos, sacrae virgines, in Virgine foecunditatem. Imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus—Et de meis—Gloria Patri—Et de meis.

Lect. IX. de Domin. occ. Si hoc fest. transferri contigerit. dividatur VIII Lect. in loco, ubi adest asteriscus.

AD LAUDES

Et per Horas. Antiph.

1. Beata es, Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem.

2. Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

3. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Dominus.

5. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

5. Viderunt eam Filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

Capitulum.

Qui creavit me requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

HYMNUS.

Te Mater alma Numinis,
Oramus omnes supplices,
A fraude nos ut daemonis
Tua sub umbra protegas.
Ob perditum nostrum genus
Primi parentis crimine
Ad Inclytum Matris decus
Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Germinavit radix Jesse: orta est Stella ex Jacob.

℟. Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster.

Ad Benedictus. Antiph.

Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam admirabilem Maternitatem.

Oratio.

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Deinde fit comm. Domin. occurr.

Ad Horas Antiph. et Orat. ut in Laud. rel. ut in Off. parv. B. M. V.

Ad Primam in ℟. Qui natus es etc.

In II. Vesp. omn. ut in primis.

Ad Magnificat. Antiph.

Maternitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est Sol justitiae Christus Deus noster.

Deinde fit comm. Domin. occ.

Dominica III.

In festo Puritatis B. M. V.

Duplex majus.

Ad Vesperas. Antiphonae.

Sicut lilium inter spinas, *cum reliquis de Laud. Psal. consuet. de S. M. ut in ejus Offic. parvo.*

Capitulum. Sap. c. 4.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.

HYMNUS.

Praeclara Custos Virginum,

Intacta Mater Numinis,
Coelestis aulae janua,
Spes nostra, coeli gaudium.
Inter rubeta lilium,
Columba formosissima,
Virga e radice germinans
Nostro medelam vulneri.
Turris draconi impervia,
Amica Stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus,
Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute,
Sirtes dolosas amove
Fluctus tot inter, deviis
Tutam reclude semitam.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Haec conclusio dicitur in fine omnium hymnorum.

℣. Cum jucunditate Virginitatem Beatae Mariae semper Virginis celebremus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Ad Magnificat. Antiph.

Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis aeternae, et speculum sine macula.

Oratio.

Da quaesumus, omnipotens aeterne Deus, ut purissimae Virginis Mariae integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione puritatem mentis, et corporis consequamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. Domin. occ.

Ad Matutinum.

Invitat. Virginitatem Deiparae celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum. *Psalm.* Venite, exultemus.

HYMNUS.

O stella Jacob fulgida,
O solis instar splendida
Aurora! qua nil purius
Refulget inter sidera.
Stolis amictae candidis
Tibi catervae Coelitum
Plaudunt, sacraeque Virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra, et alba lilia:
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abjecta tellus adsonans
Ad astra voces efferat,
Et Virginis praeconia.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. et Psalm. Noct. ut in ejus Officio parve.

IN I. NOCTURNO.

℣. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

℟. Et innumerabilis honestas per manus illius.

De Canticia Canticorum. *Cap.* 2.

Lect. I.

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Laeva ejus sub capite meo, et dexera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei; ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles; similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem

nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, et veni.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: * Pulchra es amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

℣. Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt — Pulchra es.

Lect. II. *Cap. 4.*

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum; absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicuti greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad; dentes tui sicut greges tonsorum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici; ita genae tuae, absque eo, quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis. Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam ad montem myrrae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

℟. Surge, propera, amica mea, columba mea, et veni: * Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.

℣. Surgam, et circuibo civitatem per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea — Jam hiems.

Lect. III.

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubilibus leonum; de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, Soror mea Sponsa! Pulchriora sunt ubera tuo vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, Sponsa; mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, Soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo. * Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?

℣. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Talis est dilectus meus, ipse est amicus meus, filiae Jerusalem — Qualis — Gloria Patri — Qualis.

IN III. NOCTURNO.

Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Libr. 2. post initium.

Lect. IV.

Sit vobis tamquam in imagine descripta Virginitas, vitaque beatae Mariae, de qua velut in speculo refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi: ubi, tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis ostendunt. Primus di-

scendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit?

℟. Beatissima Virgo Maria, hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina mundi: * Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad coelos.

℣. Ad te clamamus exules filii Evae: recordare nostri Sanctissima Virgo — Per quam.

Lect. V.

De ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosor, non in incerto divitiarum, sed in preces pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere: nullum laedere, bene velle omnibus, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

℟. Beata Maria tantae extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur: * Deus, quam elegerat, creavit: de qua crearetur, elegit.

℣. Ipsa est Stella ex Jacob, cujus radius universum orbem illuminat — Deus.

Ex Sancto Petro Chrysologo.

Serm. 143.

Lect. VI.

Haec dedit coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Gratiam, quam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem saeculis redditura. Vere benedicta, quae et superni conspectus meruit gratiam, et servavit integritatis coronam. Vere benedicta, quae et divini germinis suscepit gloriam, et Regina extitit totius castitatis.

℟. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te: * Virtus Altissimi obumbravit tibi, ideoque * Quod nasceiur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.

℣. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum — Virtus — Gloria Patri — Quod.

IN III. NOCTURNO.

℣. Invenisti gratiam apud Deum.

℟. Sancta Dei Genitrix Virgo Immaculata.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap. 1.*

Lect. VII.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileae, cui nomen Nazaret, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super Missus est.

Novum canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus, ipsam Virginum Reginam, imo primam inter ceteras esse cantaturam, nemo est qui ambigat. Puto autem illam, praeter illud, quod solis licet cum omnibus tamen virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine laetificaturam esse civitatem Dei. Hujus itaque dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur, quia merito decantandum servabitur illi, quae sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriatur, dixi, de partu, non in se, sed in ipso, quem peperit. Deus siquidem, Deus enim est, quem peperit, et qui Ma-

trem suam in coelestibus donaturus gloria singulari, in terris praevenire curavit, et gratia, quae videlicet ineffabiliter, et intacta conciperet, et pareret incorrupta.

℟. Egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

℣. Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est — Ecce Virgo.

Lect. VIII.

Deum hujusmodi decebat nativitas, qua nonnisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde Factor hominum ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit diligere, imo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit et humilem, de qua mitis, et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit Virgini partum, qui ei jam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitas praerogaverat meritum. Ut igitur quae Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter, et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis; ut esset mente, accessit donum humilitatis. O admirabilem, et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem. Missus est Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam. Nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam, ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam, ab Angelis servatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam.

℟. Beata Dei Genitrix Maria templum Domini, sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit et in aeternum permanes Virgo — Sola — Gloria — Patri — Sola.

Nona lectio Homil. Domin. occ.

AD LAUDDS, ET PER HORAS.

Antiph. Sicut illium inter spinas, sic amica inter filias.

Antiph. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Antiph. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.

Antiph. Una est columba mea, perfecta mea.

Antiph. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.

Capitulum. O quam pulchra est, *ut in supra in 1. Vesp.*

Hymn. O Gloriosa Virginum *ut in Offic. parvo B. M. V.*

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

Ad Benedictus. Antiph.

Sancta et immaculata Mariae Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia per te Redemptorem nostrum suscepimus Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio.

Da, quaesumus omnipotens aeterne Deus: ut purissimae Virginis Mariae integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione puritatem mentis et

corporis consequamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. Domin. occ.

Ad tertiam, Sextam, et Nonam Capit. ℣. *ut in festo S. Mariae ad Nives Ad Prim. in* ℟. Qui natus est etc.

In II. Vesp. omn. ut in primis. Ad Magnificat. Antiph.

Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, Sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Deinde fit comm. Domin. occ.

Dom. IV. Octobris, seu Dom. quae immediate seq. fest. S. Lucae. Evang.

DEDICATIO ECCLESIÆ AGATHENSIS.

Dup. I. Class. cum oct.

Omnia de Comm. Dedicat. Eccl. ut in Breviario.

Dnmin I. post. Octav. Omn. Sanctorum.

DEDICATIO BASILICÆ BENEVENTANÆ.

Duplex.

Offic. de comm. Dedicat. Ecclesiae, praeter Lect. Sequentes.

IN II. NOCTURNO.

Lect.

Sacrosanctam Metropolitanam Basilicam, hortodoxae fidei in Beneventanam Civitatem invectae coevam, magnaeque Deiparenti in coelum assumptae erectam, David trigesimus primus Episcopus decimo octavo Kalendas Januarii anno salutis sexcentesimo, sermone ad populum habito, adhuc exiguam dicavit. In ampliorem vero formam, ac decentiorem evexit Sico Princeps quartus anno octigentesimo vigesimo nono. Augustiorem reddidit Roffridus Archiepiscopus undecimus anno millesimo centesimo vigesimo quarto. Marmoreo prospectu, ac aereis valvis exornavit Cardinalis Rogerius decimus sextus Archiepiscopus saeculo circiter duodecimo. Aram maximam Corradus Capycius quadragesimus primus Archiepiscopus erexit, et a Jacobo de Appianis Gravinensi Episcopo decimo octavo Kalendas Decembris anno millesimo quadrigentesimo vigesimo tertio sacris initiandum curavit. Eleganti deauratoque laqueari mediam rectamque navim, atque transversam Joannes Baptista Foppa Archiepiscopus quadragesimus octavus, vita functus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio honestavit.

Lect. V.

Deinde Cardinalis Ursinus Archiepiscopus sexagesimus primus eamdem Basilicam, sexdecim Pontificum sanctitate insignem, duodeviginti Cathedralium Ecclesiarum, prout olim triginta duarum principem, sex Conciliis a Romanis Pontificibus habitis illustrem, duodecim vero tunc Provinicialibus Synodis decoratam, insignibus Sanctorum Reliquiis refertam, innumerisque privilegiis ditatam, vetustate tamen squalidam, adjunctisque Cappellis deformem instauravit, ac regio nitore exornavit: eam exinde terraemotus causa nonis Junii anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo magna ex parte aut dirutam, aut collabentem restituit, suffulsit, et opere plastico ornatam, laquearibus, picturis, marmoribus, ac pretiosa supellectili ditatam, variisque ex aurichalco, et argento vasis nobilitatam, numeris omnibus adeo absolutam reddidit, ut aliam pror-

sus formam induisse, ac proinde eadem, et altera esse omnium testimonio videretur.

Lect. VI.

Demum vero anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, septimo Kalendas Junii, Feria secunda Pentecostes, Divo Philippo Nerio sacra eamdem Basilicam solemni pompa, ac ritu, adsistenti Nicolao Tura Sarnensi Episcopo, maximo populi concursu, immensoque totius Archidioeceseos, ac Provinciae gaudio cum principe Ara sacravit. Praeterea omnibus fidelibus anniversarias in eadem preces fundentibus, Dominica prima post Octavam omnium Sanctorum, in quam Dedicationis festum transtulit, centum Indulgentiae dies Innocentius duodecimus Pontifex Maximus, eamdem visitantibus Basilicam, plenariam omnium peccatorum tribuit Indulgentiam.

Domin. infra Oct. Omn. Sanctorum.

Festum B. M. V. titulo Auxilium Agonizantium.

Dupl Maj.

In I. Vesperis omnia ut in Offic. parvo B. M. V. praet. sequent.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Antiph. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Festivitatem.

Oratio.

Deus, qui Unigenito tuo pendenti, in Cruce pro animarum salute ejus Genitricem Virginem Mariam adesse voluisti: fac, ut nos in extremo vitae periculo constituti ejus intercessione adjuvemur, et aeterna praemia consequi mereamur. Per eundem Dominum etc.

Ad Completorium, et per Horas diei seq. in fine Hymnorum, dicitur, Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum. Invitatorium. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo; * Intercede pro nobis.

Psalm. Venite exultemus.

Hymn. Quem terra.

Antiph., Psalmi, et ℣. Noct. ut in Officio parvo B. Mariae.

IN I. NOCTURNO.

De Parabolis Salomonis.

Lect. I. Cap. 8. et 9.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnat, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et justitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesau-

ros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar,

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Lectio III.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

℟. Beata es virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes virgo.

℣. Ave Maria gratia plena: Dominus tecum—Genuisti—Gloria Patri. Genuisti.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Apud Metaph.

Lectio IV.

Dei Filius non divitem, aut locupletem aliquam feminam sibi matrem elegit, sed beatam Virginem illam, cujus anima virtutibus ornata erat. Cum enim beata Maria supra omnem humanam naturam castitatem servaret, propterea Christum Dominum in ventre concepit. Ad hanc igitur sanctissimam Virginem, et Dei matrem accurrentes, ejus patrociniis utilitatem assequamur. Itaque quaecumque estis virgines, ad matrem Domini confugite. Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam et incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conservabit.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

Magnum revera miraculum, fratres dilectissimi, fuit beata semper Virgo Maria. Quid namque illa majus, aut illustrius ullo umquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Haec sola coelum, ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater, eadem Virgo et Genitrix.

℟. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumda-

bant eam flores rosarum, et lilia convallium—Viderunt eam.

Lectio VI.

Haec ejus mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. Vis ne cognoscere quanto Virgo haec praestantior sit caelestibus Potentiis? Illae cum timore, et tremore assistunt, faciem velantes suam: haec humanum genus illi offert, quem genuit. Per hanc et peccatorum veniam consequimur. Ave igitur mater, coelum, puella, virgo, thronus, Ecclesiae nostrae decus, gloria et firmamentum, assidue pro nobis precare Jesum Filium tuum, et Dominum nostrum, ut per te misericordiam invenire in die judicii, et quae reposita sunt iis, qui diligunt Deum, bona consequi possimus, gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul, et sancto Spiritui gloria, et honor, et imperium, nunc et semper in saecula saeculorum. Amen.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate — Et—Gloria Patri — Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 11.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyt.

Lib.4. cap.49. in Lucae 12.

Magnae devotionis et fidei haec mulier ostenditur, quae Scribis et Pharisaeis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta ejus incarnationem prae omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat haereticorum perfidiam. Nam sicut tunc Judaei, sancti Spiritus opera blasphemando, verum, consubstantialemque Patri Dei Filium negabant: sic haeretici postea negando, Mariam semper Virginem, sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris Unigenito Dei, carnis suae materiam ministrasse. verum consubstantialemque matri filium hominis fateri non debere, dixerunt.

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem—Quia.

Lect. VIII.

Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis, a carne Virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter, qui eam portasset, ubera, quae lactassent, beatificantur. Dicit autem Apostolus: Quia misit Deus Flium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiendi sunt qui legendum putant, natum ex muliere, factum sub lege; sed, factum ex muliere, quia conspectus ex utero virginali, carnem non de nihilo: non aliunde, sed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet

ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis, extollamus vocem cum Ecclesia Catholica, cujus haec mulier typum gessit: extollamus et mentem de medio turbamur, dicamusque Salvatori: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. Vere enim Beata parens, quae, sicut quidam ait: Enixa est puerpera Regem qui coelum terramque tenet per saecula.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia—Gloria—Quia.

Lect. IX.

Homilia Dominicae, vel si transfer. dicatur sequens.

Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt. Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo, quae Verbum Dei corporaliter generare meruerit, sed et omnes, qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos: quia et eadem Dei genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed inde multo beatior; quia ejusdem semper amandi custos manebat aeterna. Te Deum.

AD LAUDES.

Et per Horas. Antiphona.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica, ut in Psalt.*

Antiph. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Antiph. Nigra sum, sed formosa filiae Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Antiph. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit, surge amica mea et veni.

Antiph. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

Capitulum. *Eccl.24.*

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Benedictus. Antiphona.

Beata es Maria, quae credidisti: perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino, Alleluja.

Oratio.

Deus, qui Unigenito suo pendenti in Cruce pro animarum salute, ejus Genitricem Virginem Mariam adesse voluisti: fac, ut nos, in extremo vitae periculo constituti, ejus intercessione adjuvemur, et aeterna praemia consequi mereamur. Per eumdem Dominum etc.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad tertiam Antiph. Laeva ejus.

Capitulum. Ab initio, etc.

℣. *br.* Specie tua, et pulchritudine tua. Specie tua.

℣. Intende prospere, procede, et regna — Et pulchritudine tua — Gloria Patri—Specie.

℟. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℣. Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam Antiphona. Nigra sum.

Capitulum. *Eccl.24.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter re-

quievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam, * Deus vultu suo—Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur—Deus—Gloria — Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus et praelegit eam.

℟. In Tabernaculo suo habitare fecit eam.

Ad Nonam Antiphona. Speciosa.

Capitulum. Eccl. 24.

In plateis, sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus, Et praelegit eam—Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare fecit eam—Et praelegit—Gloria Patri—Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad II. Vesp.

Omn. ut in I. Vesp. praeter Antiph. ad Magnif.

Antiph. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus.

Die 7 Julii.

In festo S.M.V. Titulo Auxilium Christianorum.

Duplex Majus.

IN I. VESPERIS.

Omnia in Officio parvo B. M. V. praeter ea, quae sequuntur.

HYMNUS.

Ad Vesperas et Matutinum.

Saepe, dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adjutrix pia Virgo coelo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis.
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariae
Cantici laetis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis, et Orbis.

O dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei Magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.

Virgines castae, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginae celebrare coeli
Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, haec auge bona; fac, precamur,
Ut Gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos; et venit in adjutorium nobis.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad defensionem Populi christiani in Beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti; concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

In fine Hymn. Complet. et horar. die sequ. dicit. Jesu.... Qui natus es de Virgine.

Ad *Matutinum.*

Invit. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, * Intercede pro nobis.

Hymnus. Saepe dum Christi etc. *ut in Vesperis.*

Antiph. Psalm. et ℣℣. Nocturnor. ut in Off. parv. B. M. V. Lect. 1. *Noct. cum* ℟℟. *ut in Fest. ad Niv. die* 5. *August.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. *Stellis.*

Lect. IV.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nócuere: sed gratias Deo per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno foenore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa Mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum: nec alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quae salutis antidotum, et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis: Illa suggessit praevaricationem, haec ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est omnibus offerens lac, et lanam. Revolve diligentius Evangelicae historiae seriem universam; et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de caetero suspectam habeas, et accedere verearis.

℟. Sicut credrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizan — Dedi suavitatem odoris.

Lect. V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis, et gratiae, plena mansuetudinis, et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse susceptum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus laetitiam. Ipsa praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia Luna intelligenda videtur vocabulo, habes mediatricem evidente expressam: Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pe-

dibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: potens est enim.

℟. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia cavallium—Viderunt.

Ex publicis Monumentis.

Lect. VI.

Praesentissimum Deiparae auxilium ad Religionis hostes profligandos saepe Populus Christianus mirum in modum expertus est: ex quo factum, ut Sanctissimus Pontifex Pius Quintus post insignem victoriam, intercedente Beatissima Virgine, a Christianis de Turcarum Tyranno apud Echinadas Insulas reportatam, in Litaniis Lauretanis eamdem Reginam coelorum inter alia praeconia Auxilium Christianorum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pontifex Pius Septimus, impiorum consiliis, et armis ex Apostolica Petri Sede exturbatus, et arcta custodia, praesertim Savonae, per annos quinque eo amplius fuisset detentus, viis omnibus penitus interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo, inopinato, et praeter omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi orbis manibus Pontificio Solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine, ab Urbe discedens, Sacro comitante Cardinalium Collegio, Liguriam contendit. Verum praesentissimo Dei beneficio, cessante procella, quae grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus prae novo gaudio Populis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat, et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea Corona insignem Savonae Imaginem Deiparae Virginis sub titulo Matris Misericordiae solemni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex Maximus Pius Septimus totius eventus intime conscius, cum intercessione SS. Dei Genitricis, cujus potentem opem, et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatione Auxilii Christianorum solemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maji vigesimo quarto, faustissimi sui in Urbem reditus anversario, approbato etiam Officio proprio, ut tanti beneficii distincta, et perennis extet memoria, et gratiarum actio.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.—Et videntes — Gloria Patri—Unguentum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 11.*

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Nativitate B.M.V.

Intuere, o Homo, consilium Dei:

cognosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore arcam rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque tuum sanctum implorant auxilium—Quia.

Lectio VIII.

In omnibus siquidem, et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare Divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim: exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est; et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum—Quia—Gloria Patri—Quia.

Lectio IX.

Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum; feliciter. Semper haec inveniet gratiam, et sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus, quia quod quaerit, invenit, et frustari non potest. Quaeramus gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiae est, quod hic sumus? Profecto misericordiae Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Te Deum.

Ad Laude, Et per Horas.

Antiph. Dum esset Rex etc. *ut in Off. B. M. V. in Sabb. Psalm.* Dominus regnavit etc. *cum reliq. de Dom. Capit* Ab initio. etc.

HYMNUS.

Te Redemptoris, Dominique Nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.
Saeviant porte licet inferorum,

Hostis antiquus fremat, et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.
Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo favet et superno
Robore firmat.
Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmae
Mille cohortes.
Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis, et acri
Milite, tuta.
Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, coeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.
Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide montes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Antiph. Ad Benedictus.

Ad Te, o sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium nobis,

Oratio. Omnipotens etc. *ut supra.*

In ℣. brev. ad Prim. dicit. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Hor. Antip. Capit. et ℣℣. ut in Off. B. M. in Sabb. praeter Orat. prop. ut supra.

IN II. VESPERIS.

Omnia dicunt. ut in primis praeter Antiph. ad Magnif.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero; intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque Sanctum tuum implorant auxilium.

Die 8. Julii.

In festo S. Apollonii Episc. et Conf. *Duplex.*

Offic. de Comm. Conf. P. praet. seq.

Oratio.

Deus, qui nos annua beati Apollonii Confessoris tui, atque Pontificis solemnitate laetificas, praesta quaesumus, ut cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

Lect 1. Noct. de scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lect. VI.

Apollonius Beneventanus civis anno circiter sexto et vigesimo supra trecentesimum Sancto Doro Beneventano Pontifici in munere pastorali subrogatur. Ab impiis multa est passus propter Christi fidem; atque improbitati eorum aliquando cedens, ab urbe secessit, et in vicina aedicula instructa, suo munere functus est, donec meritis cumulatus, postridie Nonas Julii sanctissime obiit. Ejus sacra Lipsana sub ara maxima metropolitici templi elegantissime sita, quotannis venerantur.

Lect. V. et VI. Sermo S. Maximi Episcopi etc. *de eod. comm. 1. loco.*

In III. Noct. Homil. in Evang. Cum persequentur vos in civitate ista etc. *Ex Sancto Athanas. Episc.* In lege praeceptum erat, *ut in festo S. Blasii Ep. pag. 7.*

INDEX

OFFICIORUM, QUÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTUR.



	ERRATA		CORRIGE
Pag. 3 Col. 1 v. 17	Ater	. .	Afer
Pag. 4 Col. 1 v. 17	pauca	. .	paucae
Pag. 4 Col. 2 v. 39	est	. .	et
Pag. 5 Col. 2 v. 30	fera	. .	ferae.
Pag. 9 Col. 1 v. 27	narravit	. .	navavit
Pag. 9 Col. 1 v. 40	conscendi	.	conscendit
Pag. 10 Col. 1 v. 26	accensi	. .	accensa
Pag. 10 Col. 2 v. 7	pectores	. .	pectore
Pag. 12 Col. 2 v. 7	habes	. .	habet
Pag. 12 Col. 2 v. 15	Cethura	. .	Cethurae
Pag. 13 Col. 1 v. 7	capit	. .	coepit
Pag. 14 Col. 1 v. 42	Officii	. .	Offi[illegible]ii.
Pag. 14 Col. 2 v. 12	cessait	. .	cessavit
Pag. 15 Col. 1 v. 2	virtutem	. .	virtute
Pag. 15 Col. 1 v. 34	conclamareret	.	conclamaret.

Se vi sono altre mende topografiche, si rimettono alla sagacità del Lettore.